






DORN
1583









200 — In Theophrasti Paracelsi Auroram Philosophorum, Thesaurum, et Mineralem Oeconomiam, Commentaria, cum quibusdam argumentis per Gerardum Dorneum. Francoforti, (Christ. Rab), 1583. 8vo. With printer's device. Bds. Frs. 48.—

Sudhoff 197. First edition of these three writings with the commentary of Gerardus Dorneus.

Title-leaf partly mounted, two small wormholes, some MS. annotations.

IN THEOPHRASTI PARACELSI

Auroram Philosophorum, Thesaurum, & Mineralem Oeconomiam,

COMMENTARIA,

Cum quibusdam Argumentis:

Per GERARDVM DORNEVM.



FRANCOFORTI,

Anno M. D. LXXXIII.

Aurea Musarum sudat ad astra labor.

200 — In Theophrasti Paracelsi Auroram Philosophorum Thesaurum

CLARISSIMO ET ORNATISSIMO CVM PIETATE, TVM ERVDITIONE ET VIRTVTE VIRO, D. SAMVELI Siderocrati, sincerioris Philosophiæ & Medicinæ Doctori celeberrimo, Reuerendissimi D. Præsulis Episcopi Spirensis Medico, amico suo plurimùm honorando,

Gerardus Dorneus S. D.



Bsolutis iam in Paracelsi libellos quinq; De longa vita commentariolis, tibi meritò nuncupatis, animum erga te satiare continerév e meum nullatenus potui, quin & Explicationes quasdā in eiusdem authoris Auroram, & in Thesaurum Philosophorum dedicarem. Vt supernaturali Mercurio longæ vitæ, simile sulphur Monarchicum accederet, in cōstantissimam fixionem amicitiæ nostræ nuper initæ. Si quid postmodum salis inuenire queam, quod ista duo condiat, quoque Ternarius primorum principiorum in vnionē conuenire Monarchiæ quandoq; possit, ope-

ram nauabo ſedulam, ac pro viribus efficiam, quod prodeſſe poſſit ſtudioſis animis & puris. Non eſt, quòd in iſtis peragendis, ornatum Ciceroniani ſermonis à me requiras, qui medullam, quàm oſſa mortua canibus cõuenientia, nucleum quàm corticem, & rem ipſam quàm futiles vmbras, magis quæro. Pallium aureum non accipiam Palladis pro Pallade ipſa, imò potiùs ſub lanea veſte Palladem, & non veſtem eius, intueri cupio. Quanquam eam videre nudam æquum non eſt, niſi fortaſſis talem ſe contemplandam præbuerit gratia ſua dignatis ingenijs. Ergo dum præfabimur, conſideremus animi ſolùm recreãdi cauſa, quid interſit eorum quæ didicimus olim iuuenes in Academijs, ad iſta quæ nos docet, ex Deo tamen, Adech ille noſter, differentia quæſo, & comparatione facta horum ad illa, non apparebit alia, quàm vnionum ad glandes, & nectaris ad ſordidam colluuiem. Quàm ſæpe mecum conqueror ac doleo, tritam, in ſcholis infidelium, iuuenilem ætatem, quæ ad altiora collocari potuiſ-
ſet:

ſet: nec tam inutiles impenſas quàm irrecuperabile tempus! Non ſolùm enim cæcam iuuentutem, at longè cæciorem ſenectutem, ſeſe iuuenesque ſecum ſeducere (proh dolor) videmus indies. Quid autem poſſumus in hanc rem aliud, quod remedium adferre, ſi non omnibus, nonnullis tamen valeat, efficere, præterquam apertè fateri veritatem, vt in fonte Biblico veritatis intuemur, quæ nos inde veritatem artium & notitiarum docet omnium elicere? Nec eſt, quòd ſuperbos illos Gigantes metuamus, parata ſunt enim arma nobis validiſſima, calculus & funda videlicet: parent ipſi frontem, & aggrediantur nos. Hac fiducia nuper Leoni cuidam maxillas confregi nullo negotio. Sicunde mihi poſtmodum occurrat vrſus, qui faciat impetum, vt ille, viribus à Deo conceſſis mihi, non parcam, donec & iſte ruat. Totum hoc onus viginti iam plus minùs annos, calamo ſolus, & nemine ſecundante, ſuſtinui. Non me deſeruit adhuc veritatis author DEVS vnquam, nec deſeret, omnibus etiam deſi-

cientibus. At, vt ingenuè fatear, erubeſco, tot ac tam varios inter Spagyriæ Paracelſicæ profeſſores, ne vnicum quidem exurgere, qui laceſſentem Philiſtinum audeat mecum repellere. Vires quidem ipſos nõ deficiũt, ſed animus. A me iam hocipſum audiant, & quocunq; velint animo ferãt: animum ſiquidem ipſis vt expergefaciam conſopitum, non ira dictum exiſtiment. Sed ad rem ipſam vt redeam. Poſtquã De vita longa tecum, ex Paracelſi mẽte, quod aſſecutus ſum, libello ſuo priùs diſſerui, iam hoc de Monarchia ſiue medio conſeruandæ huius in corpore vitæ, precor audias, benignè quoque feras, quicquid erratum comperies, & corrigas: nihil enim gratiùs abs te mihi contingere poteſt, quàm hoc indicio, notam experiri tui erga me bene affecti animi. Humanum equidem eſt errare, ſed manifeſtos errores nolle retractare diabolicum. Cuperem itaque libros Paracelſi fore manifeſtos & claros, vt ſi quid erroris in ipſis, quod pietatẽ offenderet, ab eius inimicis pertinenter poſſet argui Biblicis authoritatibus, & non infidelium

delium hominum, correctione potiùs indigentium, corrigeretur. Hac de causa labores interpretationum per commentaria suscepi, ne iustam occasionem inde sibi prætexant inimici, ideò non esse Biblicis confutandos, quia contrà pugnare videantur ipsis ex diametro, nec alijs authoritatibus quibuscunque, quòd authorem de studio tam intricatè scripsisse fingant, vt non intelligatur, indeq́; censuram euadere conatus sit. Iam quid commenti adferant ampliùs, videamus, cùm clara sint ipsis ac manifestè plus satis elucidata Scripta Paracelsi De vita longa, De Aurora, Deq́; Thesauro Philosophico, ad quæ accessit vocabulorum per Onomasticon expositio, indiesq́ue magis ac magis Deo dante accedet. Nostros igitur conatus amice frater adiuua, qui potes, meq́ue amantem tui redama, & vale.

AD LECTOREM.

Post libros quinque Paracelsi De vita longa, supercœlesti medio quidem adipiscẽda, per me iamiam clarißimis commentariolis diligẽter illustratos, verus ordo requirit, vt Tractatũ aliquem eiusdem authoris de cœlesti quoque medio, & naturali, de naturalibus tamen, supernaturali quodam, & quàm humano, diuino potiùs opificio, per Spagyriam adeptam comparato, cum suis etiam explicationibus annectam: Auroram nimirum Paracelsi, ac eiusdem Thesaurum Philosophorum adeptorum, de sua Monarchia disertißimè ac præ cunctis alijs dilucidiùs docentia. Medium enim hoc vitæ longæ nobis exhibent, sine quo difficulter, nec nisi specificis quibusdam arcanis acquiri, ac nõ perfectè satis potest: quorum in libris de vita longa peculiares methodos habes. At generale, de quo nunc agitur, non solùm specifica, verùm etiam generalia quæuis arcana sub se complectitur, vt vniuersale quoddam, ad omnes ægritudines indifferens medicamentum, sed Balsamum vitæ lõgæ summum rectiùs dixeris, cùm instaurandæ, tum conseruandæ. Vt de metallis

interim

interim taceam, quorum lepram atq; tenebras aufert, quod & ipse legens meliùs intelliges. Quapropter his paucis admonitũ amicè te velim, vt nisi fortaßis arrideant, intactos mordicùs relinquas, quæ non intelligis, & sapies plus illis, qui sese hoc ipso ridendos exhibent hominibus veris. Vale.



THEOPHRASTI PARACELSI AVRORA PHILOSOPHORVM, quam aliàs Monarchiam ſuam vocat.

Cap. I.

De origine lapidis Philoſophici.



Rtium inuẽtor primus Adam, quòd rerum omnium cognitionem haberet, poſt lapſum æquè atque ante lapſum, inde præſagiuit mundum per aquam tranſiturum. Hoc ipſo factum etiam, vt eius ſucceſſores duas lapideas tabulas erigerent, quibus omnes artes naturales inſculpſerunt, idque Hieroglyphicis characteribus, vt preſagium hoc poſteris etiam innoteſceret, ac obſeruaretur, periculorum tempore prouidendum eſſe. Noach poſtmodum in Armenia tabularum vnam inuenit ſub monte Araroth, tranſacto diluuio. Qua quidem ſuperioris firmamenti, & inferioris globi, necnõ planetarum curſus deſignabantur. Tandem vniuerſalis hæc notio, particulatim in diuerſa diſtracta, viribus ſuis imminuta eſt, vt iſtiuſmodi ſeparatio, hũc aſtronomum, illum porrò magum,

gum, alium cabaliſtam, quartum verò alchimiſtam effecerit. Vulcanicus ille Abrahã Tubalchain aſtrologus & arithmeticus maximus, ex Ægypto in regionem Chanaan traduxit, vnde tantum in faſtigium Ægyptij ſurrexerunt, vt ab iſtis etiam ad alias nationes eiuſdem rei ſapientia tranſierit. Quandoquidem Patriarcham Iacob oues picturaſſe varijs coloribus, magiæ membro factum fuit. Semper enim Chaldæi, Hebræi, Perſæ, & Ægyptij, penes Theologiam has artes liberales, ſuis proceribus, atque ſacerdotibus, vti ſummam philoſophiam propoſuerunt addiſcendam. Non ſecus euenit Moyſis temporibus, quibus cùm ſacerdotes, tum ipſi medici, magos inter electi ſunt: iſti quidem in illorum iudiciũ, quod ſanitatem concernebat, pręſertim in lepra cognoſcenda. Moyſes etiam cura & impenſis filiæ Pharaonis ſcholis Ægyptiorum inſtructus eſt, vt in eorum ſapientia præcelleret. Non aliter Daniel ab ineunte ætate Chaldæorum doctrinam ſuxit, vt in cabaliſtam euaderet. Teſtantur eius diuina præſagia, & expoſitiones iſtorum verborum: *Mene Mene Tecelphares*. Per propheticam & cabaliſticam artem verba hæc intelligenda ſunt. Artis huius cabaliſticæ traditio, apud Moyſen & prophetas familiaris admodum fuit, atque plurimùm vſitata. Elias propheta ſuis cabaliſticis numeris,

multa prædixit. Itidem & antiqui ſapientes hac arte naturali, & myſtica, Deum ex æquo noſſe didicerunt, ac in eius mandatis huiuſmodi legibus firmiùs perſtiterunt & ambularunt. Pariformiter & libro Samuelis habetur, Bereliſticos diaboli ſortem non fuiſſe ſecutos, verùm diuina permiſsione viſionum apparitionumq́ue verarum fuiſſe participes, quod quidem lib. de ſupercœleſtibus latiùs vrgebimus. Donum eiuſmodi ſacerdotibus in diuinis præceptis ambulantibus à Domino Deo cōceſſum eſt. Mos Perſis fuit, neminem in regem præter ſophum re ac nomine ſublimatū admittere: quod vtique patet hoc ipſo regum ſuorum nomine Sophi. Tales etiam extiterūt illi ſophi ac magi Perſæ, qui Chriſtum Ieſum ab Oriente quæſiuerunt, & ſacerdotes naturales appellati ſunt. Ægyptij quoque à Chaldęis & Perſis hanc magiam & philoſophiam aſſecuti, ſuos ſacerdotes eandem ſapientiam addiſcere voluerunt: in qua etiam tantum fructum fecerunt, vt circumuicinis omnibus regionibus venirent in admirationem. Hac de cauſa Hermes verè Triſmegiſtus nominatus eſt, quia Rex tum Sacerdos atque Propheta, Magus, & Sophos rerum naturalium fuit. Talis etiam & Zoroaſtes extitit.

EXPLI-

EXPLICATIO.

Artes quæ ante diluuium extiterunt, fuisse in & post diluuium seruatas, argumento est, quod pariter & homines, quibus à Domino Deo datæ fuerant in vsum, in arca seruare, non penitus voluit extinguere neque delere, nouis denuò creatis omnibus. Semel enim crearat ista ad præfinitum suum terminum, siue æstatem, siue autumnum, quibus magna messis est futura cunctorum quæ creata sunt. Columnis igitur lapideis insculptas, ne transirent in obliuionem, qui futurum diluuium ex diuina reuelatione cognouerant, posteris seculis prouidentes, commendarunt. Eiusmodi cognitionem ab Adamo primùm in suam propagationē deriuasse, minimè dubium esse potest, quòd vnus hic primus omnium, artes omnes, atque notiones obtinuit à domino Deo creatore suo: testante scriptura Geneseos capitulo secundo in hanc sententiam: Formatis igitur, dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, & vniuersis volatilibus cœli, adduxit ea ad Adam, vt videret quid vocaret ea: omne enim quod vocauit Adam animæ viuentis, ipsum est nomen eius. Appellauitq; Adam nominibus suis cuncta animantia, & vniuersa volatilia cœli, & omnes bestias terræ. Occurrit hoc loco disputatio contra nonnullos, qui contendunt id solùm de mobilibus vel animalibus brutis intelligi, non considerant interea differentiam inter animantia, & volatilia cœli, ac bestias terræ, triplicem expreßè positam à Spiritu sancto, quo nos admoneret eius, quod nos intel-

ligere vult per animantia cuncta: scilicet omnia quæ sunt et in firmamēto cœli, & sub eo in elemētis. Quandoquidem viuunt, animamq; habent omnia, quæ creata sunt ab authore vitæ, qui nihil vnquam anima & vita carens condidit, at viuit omne, quod ab æterna vita verboq; Dei factum est. Verùm istos hæc particula decipit, adduxit ea videlicet, ac si ex diuersis collecta locis Adami propòsuisset oculis. Num vident eadem vti locutione Deum, cùm statim inde pòst dicat, & adduxit Euam ad Adam, quæ tamen præ conspectu præsens erat in eodem loco? Aliud igitur, quàm literam sonat, similis adductio, videlicet inductionem, siue impreßionem cunctarum rerum, quæ Deus in vsum Adami condiderat: notitiarum, artium & scientiarum, quæ circa illas versari poterant. Adduxit igitur, vt videret, id est, intelligeret quid vocaret ea, hoc est, quas vires atque virtutes haberent, à quibus, & vsum, & nomenclaturam desumeret, ipse cognosceret, suósque doceret posteros. Exempla similia paßim habemus in sacris scripturis, vt primo Regum primo, de Samuele postulato & posito à Deo propheta. Hinc sumpsit exordium ars illa diuina Cabala, quæ de diuinis Dei nominibus primùm, tum de alijs differit à virtutibus impositis. Hîc ruit Græcorum ac infidelium schola, quæ vel ab externis formis, vel ex opinione sua quapiam, diuersa nomina rebus indunt, hinc inde corrasa, nulla rerum eiusmodi virium, neque virtutum habita ratione. Concludit igitur sacra scriptura, sub formatis à Domino Deo de humo cunctis animan-

nimantibus terræ, & vniuersis volatilibus cœli, quicquid est, & in cœlo, & in terra creatum, in principio, Genesis primo & secundo capitulis. Ista generaliter comprehenduntur eo, quod habetur Adamū appellasse nominibus suis cuncta animātia, putato cùm mobilia, tum immobilia. Sed cõtinuò sequitur animalium duntaxat mobilium nomenclatura, vniuersorum nempe volatilium cœli, & omnium bestiarum terræ. His præmonuisse lectorē oportuit, quo meliùs de reseruatione artium instrueretur, in columnis. Arguet nasutulus quispiam ex infidelium schola dialecticus: Quid opus fuit (inquiet) ea per lapides, quæ per homines potuerant conseruari, vel in ipsorum memoria, vel scriptis intro in arcam assumptis, vnà cum animalib. cunctis? &c. Ad hæc & similes malignorum hominum argutas interrogationes, & impias magis quàm Christianas, per simile respondebitur: Non aliter opus fuisse, quàm Dei legem admodum breuem, insculpi tabulis marmoreis siue lapideis, quæ potuit imprimi hominum memoriæ: Sic voluit enim Altissimus, sic iussit, sit pro ratione nobis eius obseruandissima iustissimaq; voluntas. Lapidea sunt hominum corda, pariter et ingenia, quod quidem arcanum præfigurat sapientib. magis ac pijs, plura hinc esse colligenda, quàm rude hoc hominum genus scholarum infidelium percipere potest: intelligenti pauca hæc resolutio satisfacere debet. Hæc de conseruatione artiū in duab. columnis allegoria, videtur alludere ad binas tabulas Moysi traditas, quarū vnā siue priorē fregit: hoc loco traditur etiam, Noach post diluuiū in

Armenia ſub monte Araroth, columnam vnam tãtùm è duabus inueniſſe, cui ſuperioris & inferioris globi ratio, virtus, & efficacia, per curſus planetarum deſignatæ fuerant: alterius columnæ, tabulam fractam figurantis, nulla prorſum facta mentione. Vt etiam bina ratio fuit poſterioris tabulæ legis, quæ Deum & homines concerneret, columna ſimiliter à Noach inuenta ſuperiorum, putà cœleſtium & inferiorum, videlicet elementalium ac terreſtrium, inſtructionẽ generalem continebat. Hactenus de reſtrictione ſpecialium artiũ ad ſua genera dictum eſt, nunc verò de generum iſtorum expanſione, ſiue dilatatione rurſum in ſuas ſpecies, à diluuio, deinceps audiamus. Vniuerſalis (inquit) hæc notio fruſtulatim in diuerſa diſtracta, viribus ſuis imminuta eſt. Monarchia ſiquidem verarum artium in diuerſas ac varias democratias partita fuit, in Aſtronomiam videlicet, Magiam, Cabalam, Alchimiam, &c. quæ omnes ex vnico fonte veritatis, ac lucis vtriuſque ſupernaturalis & naturalis cognitione, perfectiſſimæ prodierunt: iam per diſtractionem, peculiares quæq; ſibi finxit origines, & fundamenta poſuit, quo factum, vt Monarchia vera ſuis viribus diminuta ſit. Hæc equidem eſt Magia vera, cuius membrum intelligendo hoc vnicum, quo Iacob in picturandis ouibus fuit vſus, reliqua nõ poteſ ignorare. Naturaliter enim conſiderare, grauidi & prægnantis deſiderij ex potu nutrimentum, à coloratis variegatiſq; hauſtibus, per virgas, immutaturum naturam atq; partus ouium in pellibus, cortici virgarum correſpõdentibus, naturalis

Magiæ ſapientiæq́ membrum eſt, ex imaginatione ſupernaturaliter inuētum. Quod ſi iam contingeret per quempiam ſapientem noſtro ſeculo fieri, iudicaretur à mundi ſapientibus, nedum ad ſuperſtitionem, verùm etiam ad necromantiam, quòd per Iacob factum non eſſet: ac ſi Deus hac tempeſtate non impertiret hominibus bonæ voluntatis, dona ſuæ gratiæ et miſericordiæ, vt olim patribus, quamuis non ita affluenter, propter peiorem diſpoſitionem duntaxat. Quandoquidem ſibi ſemper æqualis eſt Deus, & vbique ſibi ſimilis omnipotentia, quanquam abſolutiſsimam voluntatem habet, cui reſiſtere nihil poteſt, neq́ præſcribere. Sapientiam ſiue Magiam diſtribuit igitur, quibus, & quando vult. Magos enim Deus non deteſtatur, id eſt, ſapiētes. Moyſes AEgyptiorū magia inſtructus, Daniel Cabala Chaldæorum, tres illi qui Chriſtum natum adoratum venerunt ab Oriente, Perſarū Sophia, ſic & reliqui prophetæ Elias, Samuel, &c. Deo fuerunt gratiſsimi. Cur tu deteſtaris Ethnice, quod Deus non reijcit, niſi quia Dei virtutem in diaboli vitium conuertere ſcholæ tuæ docent? Vt ſemel tandē concludamus, artes omnes à Deo ſunt bonæ, ſi quid acceſsit mali, à diabolo hoc omne ſatum eſt, à quo propemodum ita ſunt inuerſæ hoc ſeculo, vt nihil penè prioris formæ retineant. Quinimò & earum nomina ſic immutata ſunt, vt Magia, Necromantia, falsò tamen, appelletur, Sophia Philoſophia, ſapientia verò ſtultitia, & econtra, ſic de cæteris omnibus. Huius potiſsima cauſa fuit Monarchiæ diſtractio, qua de mētionem fecit author, in diuerſa prin-

cipia, centrum suæ Monarchiæ non retinentia. Siquidem quælibet natio ad quam peruenerunt, peculiare cuilibet arti centrum, suasu Diaboli, finxerũt, cùm vnicum esset, ac esse debet omnium, & non plura, sicuti non plures Dei, sed solus & vnus in omnibus.

CAP. II.

Quo declaratur, bonam partem huius sapientiæ Græcos ab AEgyptijs hausisse, & ab istis ad nos deriuasse.

POstmodum vbi filius Noach tertiã mundi partem occupauit à diluuio, hæc ars in Chaldæam & Persiam vi quadam irrupit, & inde in Ægyptum. Idipsum superstitiosi & idololatræ Græci cùm subodorassent, eorum aliqui qui sagaciores erant, ad Chaldæos se contulerunt, & ad Ægyptios, vt ex eorum scholis eandem haurirent sapientiam. Verùm enimuero, cùm non arrideret eis theologicum biblicúmve legis Mosaicæ studium, proprio suo genio cõfisi, à recto fundamento naturalium eiusmodi secretorum & artium exciderunt. Exemplo patet, cùm tam fabulosè de Moysis doctrina sẽserint ac titubarint. Ægyptijs mos fuit, eiusmodi traditiones excellentis sapientiæ, non nisi figuris, ænigmatibus, & abstrusis histo-

historijs atq; vocabulis proponere. Quæ postmodum Homerus artificio mirando poëmatum adumbrauit. Accesſit & Pythagoras, qui plurima ex lege Moyſis & veteris Teſtamenti permiſcuit. Pariter & Hippocrates, Thales Mileſius, Anaxagoras, Democritus & alij, ſua non deſierunt ingenia his applicare. Quamuis eorum nullus Aſtrologiæ, Geometriæ, Arithmeticæ vel Medicinæ verarum peritus eſſet. Impediuit eos nimirum ſua ſuperbia, quæ diſcipulos aliarum nationum admittere noluit. Cumque nonnihil à Chaldæis & Ægyptijs percepiſſent, longè ſuperbiores, accidente quàm antea natura, facti, ſubtilioribus figmentis rem ipſam acuere non verentes, philoſophiam quandam deſcribere conati ſunt, quæ poſtmodum à Græcis ad Latinos deriuauit. Qui tandem hac imbuti & inſtructi, ſuis quoque dicterijs adornarunt. Ab his omnibus, per totam Europam diſſeminata philoſophia hæc, multas Academias conſtruxit, in eius dogmatum propagationem, qua iuuentus inſtrueretur, & in hunc vſque diem penes Germanos & alias nationes viget.

Explicatio.

Hoc ſecũdo capite fuſiùs narrat eiuſmodi deſtructio-

nem artium, & causam eius fuisse, quia post diluuium, columna quam repererat Noach, trãslata fortè sit per filium eius in Chaldæã, Persiam, & inde in AEgyptum dispersæ fuerint artes, ex eiuscemodi principijs renatæ, per tertiam mundi partem, quæ filio Noach competijt. Ista principia artium columnæ insculpta, dependebant ex vnico centro sacrarum literarum, iuxta sententiam authoris, tanquam ex fonte omnis sapientiæ. Cùm igitur æmuli simearum instar Græci, nihil non alijs inuidentes, vt & nunc sequaces faciũt, ea de causa in AEgyptum & Chaldæã ijssent, vt eas addiscerent: hanc lucem, ex Biblico centro fulgentem, nequaquam ferre potuerunt. Quo factum, vt à luce naturæ deflexerint ad fabularum & figmentorum suorum tenebras, quibus lumen hoc diuinum obfuscarunt in hunc vsq; diem, ac veluti porci, margaritas artium conculcarũt idololatræ ac superstitiosi Græci (inquit author) ac deinceps sophiam, veram sapientiam, sinistrè nimirum, hac de quod acceperant à Chaldæis, Persis, et AEgyptijs, cùm interpretantes, tum scribẽtes, in stultam suam philosophiam contorserunt, quæ postmodum ad Latinos deriuauit, & ab istis aucta multis alijs figmentis quoq;, ad Germanos & cæteras nationes.

CAP. III.

Quidnam docebatur in AEgyptiorum scholis.

CHaldæi, Persæ, & Ægyptij habuerunt eandem arcanorum naturæ cognitionem, & eandem

eandem religionem, mutatis duntaxat nominibus. Chaldæi, & Persæ suam doctrinam vocant Sophiam atque Magiam. Ægyptij verò, ob sacrificium, suam sapientiam appellant sacerdotium. Persarum Magia, & Ægyptiorũ Theologia docebantur olim in scholis simul ambæ. Quamuis in Arabia, Africa, & Græcia scholæ multæ, doctique viri fuerint, vt Albumazar, Abenzagel, Geber, Rasis, & Auicenna: apud Arabes, Machaon, Podalirius, Pythagoras, Anaxagoras, Democritus, Plato, Aristoteles, & Rodianus penes Græcos, nihilominus varij sensus inter se fuerunt, & quod ad sapientiam Ægyptiorum attinet, discordes extiterunt. Pythagoras ea de causa Sophus appellari noluit, quia sacerdotium Ægyptiorum & sapientia perfectè, vt par erat, minimè docebatur, etsi multa nihilominus inde reportasset mysteria & arcana; Anaxagoras quoque plurima. Patet ex disputationibus, quas de sole, & eius lapide facit, & quas à morte sua reliquit. Ægyptijs tamen contrarius in multis fuit. Quapropter & ipsi noluerũt appellari Sophi, nec Magi, sed Pythagoram ea in re imitantes, philosophię nomen assumpserunt: ipsi tamen non nisi scintillas quasdam vt vmbras ex Magia Persarum & Aegyptiorum reportarunt. Verùm Moyses, Abraham, Salomon, Adam, Elias, & Magi ab Oriẽte ad Christum venien-

tes, veri Magi fuerunt & Sophi diuini, necnon Cabalistæ. Cuius artis & sapientiæ Græci, parum aut prorsus nihil experti fuerunt. Quapropter istorum scilicet Græcorũ philosophicam sapientiam, vt speculationem ab alijs veris artibus & scientijs, longè lateq; distantem ac separatam relinquimus.

EXPLICATIO.

Sapientia vera, Magiæ vel Sophiæ nomen accepit à Chaldæis & Persis, quorum Reges Magi fuerunt, ideo Sophi denominati: ab Aegyptijs nomen sacerdotij siue Theologiæ sortita est. Inter Magiam Persarũ, et AEgyptiorũ Theologiã, differentia hæc videtur esse, quòd ista de supernaturalib. atq; diuinis rebus potißimùm tractet: illa verò de naturalibus superiorum & inferiorũ astrorum, & elementorũ naturis atq; proprietatibus. Adam, Abrahã, Moyses, Elias, Salomon, & qui ab Oriente venerunt ad Christum in Bethlehem, veri Magi fuerunt, Sophi diuini, & Cabalistæ, à spiritu Dei solùm edocti. Horum omnium ac aliorum similiũ sapientiam, nullatenus Græci degustarunt: solùm habuerunt inanem quandam speculationem à vera sapiẽtia prorsum alienam. Hinc, fatoq; factum, vt indigni Magiæ vel Sophiæ nomine, Philosophiæ sortiti sint appellationẽ, quòd nil aliud ex Magia Persarum, ac AEgyptiorum Theologia, quàm fumos & vmbras dũtaxat reportarint, quibus naturæ lucẽ per vniuersũ obtenebrarũt hactenus.

CAP.

CAP. IIII.

Quales Magi fuerunt Chaldæi, Persæ & Aegyptij.

MVlti tentarunt ſecretiſsimam iſtorum ſapientum Magiam, cùm ſcrutari, tum in vſum reducere. Idipſum tamen hactenus factum non extitit. Plærique hac noſtra tempeſtate exaltant Trithemium, alij Baconem, & Agrippam, ob Magiam & Cabalam, quæ minimè concordare videntur, ignorantes cur faciant. Magia quidem eſt ars & facultas, per quam ad elemẽtorum, corporũ, & fructuum eorum, proprietatũ, virium, operationumq; abſtruſarum notitiam peruenitur. At ipſa Cabala, ex anagogia, viam ad Deum hominibus ſtruere videtur: quînam cum ipſo agendum, & ex ipſo prophetandum. Nam plena eſt diuinis myſterijs Cabala, vti Magia naturalibus arcanis: præſagia ſiquidem illa ex natura futurorum & præſentium effari docet. Eius enim operatio conſiſtit in creaturis omnib. tam cœleſtibus, quàm terrenis corporib. cognoſcẽdis intrinſecus, quid in ipſis occultetur, quæ vires lateant, cui deſtinata ſint ab initio, tum quib. proprietatibus dotata. Hæc & ſimilia vinculum ſunt, quo cœleſtia terrenis cõiunguntur, vt oculariter etiam aliquando percipi poteſt

ac ſenſualiter, ab operationibus ſuis. Talis influentiarum cœleſtium cōiunctio, vel impreſſio, qua operantur in inferiora corpora cœleſtes vires, Gamahea Magis, vel matrimoniū virium & proprietatum cœleſtium cum elementaribus corporibus, dicta fuit olim. Inde fluxerunt excellētiſsimæ commixtiones corporum omnium cœleſtium atq; terreſtrium, Solis videlicet ac planetarum, item vegetabilium, mineralium, & animalium. Diabolus tentauit conatibus totisque viribus, eiuſmodi lucem obfuſcare. Nec in totum ſua ſpe fruſtratus, cùm totam Græciam ea priuarit, & eius loco ſpeculationes humanas, & meras blaſphemias in Deum, & filium eius, eò gentium introduxit. Magia vtiq; ſuam ex diuino Ternario, & ex Trinitate Dei duxit originem. Etenim creaturas omnes hoc Ternario Deus inſigniuit, ac digito ſuo Hieroglyphicum hunc Ternarium ipſis inſculpſit, vt nihil etiam in rerū natura valeat aſsignari, vel adduci, quod hoc myſterio diuini Ternarij careat, quódve hunc oculariter non demonſtret. Creatura quidem, nobis Creatorem ipſum intelligere ac videre docet: vt etiam diuinus Paulus ad Rom. teſtatur. Fœdus hoc diuini Ternarij per totam ſubſtantiam rerum diffuſi, eſt indiſſolubile: per quod etiam habem⁹ arcana totius naturę ex elementis quatuor. Ternarius enim

cum magico quaternario, perfectum ſeptenarium producit, multis arcanis dotatum, notisque demõſtratum. Et quum quaternarius in ternario quieſcit, oritur lux mundi in Orizonte æternitatis, totumque vinculum cum Deo nobis exhibet. Ad hæc etiam accedũt vires & operationes creaturarum omnium, & vſus earum ſuis arcanis, ſignis, characteribus, & figuris inſignitarum, vt in eis vix minimũ punctum occultũ relinquatur, quod non examinatione pateat. Quandoquidem vbi quaternarius & ternarius ad denarium aſcendũt, eorum fit ad vnitatem regreſſus. In eo concluditur omnis occulta rerum ſapientia, quam Deus, cùm verbo ſuo, tum creaturis manuum ſuarum, palàm fecit hominibus, vt veram noticiam haberent earum: quod alio loco latiùs declaratur.

EXPLICATIO.

Differentiam antea præcedenti capitulo ſobriè poſitam inter Magiam & Cabalam, hoc loco dilucidiùs interpretatur author noſter. Magia quidem (inquit) eſt ars ſiue facultas, viam ad cognitionẽ eorum omniũ, quæ ſub firmamento concluduntur, naturalium, vt elementorum, elementatorum corporum, & fructuum eorum virium atque virtutum, proprietatum, & abſtruſarum operationum, commonſtrans ac docẽs. Hinc

patet ipsam non versari supra firmamētum, neq; circa ea, quæ sunt extra materiam corruptibilem, siue trāsituram posita: sed solùm scrutari, et quidnam in creaturis Dei, cùm cœlestibus incorporeis, tum terrenis & corporeis abditi lateat, occultarumq; virium, & cui rei destinatæ sint ab initio, quas proprietatum naturas habeant, quásve poßint operationes demonstrare, docet. Non sine medio tamen, quod vinculum est, quo cœlestia terrenis influentiarum viribus coniungi possint, similitudine sumpta quidem à naturalibus eiuscemodi coniunctionibus, id fieri credendum. Si tamen coniunctio fieri debeat inter duo quæ dicta sunt, operæprecium fuerit eius compositi, quod Gamahea dicitur apud magos, partes cognoscere. Antea diximus cœlum, id est, firmamentum, coniungi naturaliter indies, & in singula momenta, idq; latiùs in Physicis nostris De luce naturæ, cum inferioribus atq; terrenis elementis: modò verò supernaturaliter id fieri posse docetur, coniunctione cœlici ternarij, cū quaternario magico. Ternarius enim quid sit iste diuinus, etiam ibidem De luce naturæ physica, satis amplè deducitur, quid quaternarius etiam sit, habetur. Quare his non immorādum esse duco, sed eò relegandum, vbi hac de re satis amplè, imò ad nauseam vsq; lectorum indigniorum, studioso conatu tractaui. Diuinus hic ternarius, qui nobis ob oculos carneos à Domino Deo positus est, occultißimè latet in omnibus creaturis, tanquam anima siue spiritus in corpore. Mentis oculis autem conspicuus est, parti-

partibus etiam in toto manentibus: quæ si disiungantur, tum demum carneis apparet manifestè. Quaternarius idipsum efficit, qui si coniungatur cum ternario, sic vt in isto quiescat, inde consurgit septenarius ille Magicus in hebdomadem quietis naturalis, in qua lux oritur mundi siue naturæ, in orizonte æternitatis, id est, in solaris naturæ constantia, quæ vinculum nobis cum Deo exhibet, hoc est, medium, quo Dei magnalia, quadantenus per ipsum conceditur, videre cognoscerévé facit. Accedente nempe diuino, supernaturalíque ternario, ad magicum ex naturalibus consurgentem septenarium tanquam ad idoneum habitaculum, fit regressus ad vnitatem per denarium. Hic opus hic labor est, in septenario videlicet præparando, vt vires & operationes (ait) creaturarum omnium, & vsus earum, suis arcanis, signis, characteribus, & figuris insigniantur, hoc est, sibi proprijs & conuenientibus applicentur. Hactenus de Magia naturali diximus. De Cabala, quia non est nostri iam instituti, summariè duntaxat, quod ad præpositam cum Magia differentiam attinet, sciatur ipsam in diuinis atque spiritualibus, ac supra omnem naturam versari.

Cap. V.

De potißima ſummaq́; rerum eſſentia.

MAgi per ſuam ſapientiam affirmarunt, omnes creaturas ad vnitam ſubſtantiam adducendas, quã ſuis mundationibus & purgationibus aſſerunt in tantam ſubtilitatem aſcendere, diuinamque naturam, & occultam proprietatem, vt operetur admiranda. Conſiderarunt enim in terram redituram, & per ſupremam ſeparationem magicam, perfectam quandam ſubſtantiam emerſuram, quæ tandẽ plurimis induſtrioſis & valde prolixis præparationibus, ex vegetabilibus ſubſtantijs in mineralia, ex mineralibus in metallica, & ex perfectis metallicis ſubſtantijs attollitur in perpetuam ac diuinam eſſentiam quintam, omnium cœleſtium ac terreſtrium creaturarũ eſſentiam in ſe concludentem. Arabes & Grę-ci, per characteres occultos, & Hieroglyphicas deſcriptiones Perſarum & Aegyptiorum, ad ſecreta & abſtruſa myſteria peruenerunt, quibus adeptis, & partim intellectis, partim verò non, admiranda quædam experiundo viderunt oculariter. Sed quia ſupercœleſtes operationes profundiùs laterent, quàm captus eorum poſſet aſſequi, arcanum hoc non iuxta Magorum ſententiam vocarũt ſupercœleſte, ſed

ſed philoſophorum arcanum, & ex ſententia Pythagoræ, lapidem eorum. Hunc quicunq; aſſecuti ſunt, varijs adumbrarunt figuris ænigmaticis, deceptorijsq́; ſimilitudinibus, comparationibus & vocabulorum fictionibus: vt poſteris eius materia ſaltem occulta foret, cuius nulla vel minima haberi poſſet notitia.

Explicatio.

Conſequenter, ac per ordinem præcedentia quæque capitula, ſequentib. elucidare conatur author, vti quæ de regreſſu ad vnitatem ſuprà ſobriè tetigerat, nunc dilucidiùs reſumat, inquiēs, omnes creaturas ad ſuam vnitatem adducendas, aſſeueraſſe Magos, & hanc in ſubtiliſsimam atq; diuinam aſcendere naturam, operariq́; miracula. Nec ſubticuit qua ratione, quóve medio id fieri debeat: purgationibus, inquit, ac mundationibus, arte putato factis. Iam ponit, qua conſideratione Magi peruenerint ad inuentionem admirandi huius arcani magici. Conſiderarunt (inquit) in terram redituram vnitam ſubſtantiam, id eſt, ſicuti cuncta quæ ſunt ex terra, in terram ſemel ſunt reditura, nō ſecus & iſta materia de terra ſumpta, magicè venit ad vnitatem terream adducenda, multisq́; prolixis, & induſtrioſis operationibus, ſumma ſeparatione factis, in perfectam quandam ſubſtantiam, quam quintam eſſentiam vocant, omnium creaturarum eſſentiā complexam. Tandem ex quibus id fiat ſubſtantijs docet, ex

vegetabilibus nempe in mineralia, ex mineralibus in metallica, & ex istis postremis in perpetuam essentiam quintam. Hic locus est valde difficilis intellectu, his qui nondum in hac arte sunt operati. Nam dubitare cogit, num velit author vegetabilia transmutari in mineralia, hæc in metalla, & ista rursum in quintam essentiam, quod quidẽ videtur impoßibile, vt ex saluia fiat vitriolũ & ex isto fiat aurum, atq; ex postremo quinta essentia: vel ex quouis prædictorum generum, fieri velit eandem essentiã. Ego meam hac in re sententiam adferam, alijs, & cuilibet suam integram ac illæsam interea relinquens. Authoris itaq;, meo iudicio, hæc est opinio. Possunt, si nõ omnes, aliquot saltem, aut leuiùs vnica species, ad suum genus generalißimum adduci, quod quidem erit simile primo generi generalißimo. Siquidem pars totius, similis est suo toti per substantiã, licet non per accidens. Cùm igitur totum partes omnes in se complectatur, si pars ad naturam totius reducatur substantialem, quare quæso dialecticè, substantia partis iam totum factæ, non erit similis totius prioris substantiæ, cuius non est ampliùs pars, sed totum quid vt illa? Consideratio desumitur ex eo, quod etiam admonitione quadam ad Thomam Erastum facta, in approbationem trium primorum principiorum Paracelsi, latißimè declaratur, videlicet omnes species inferioris naturæ, congregatas fuisse à concauitate firmamenti, in centrum vnicum, & globulum vnum aquæterreum, in quem simul compressæ, tandem, sic æterno iubente verbo, rursum in propatu-

lum emerserunt omnes, quæ priùs in extensione delitescebant vnà cum suis formis, sub vniuersali forma, ad quam reduci posse, vt etiam ad vniuersalem materiam, tacitè docet author hoc loco, singula. Sed notandum, forma destructa naturali per artem, hac minimè fieri posse, ni fortè per naturam id fiat, vt in priorem speciem res vlla redeat, sed in aliam longè meliorem, & non corruptibilem, vt priùs.

Arcanum hoc à sapientibus magis, supercœleste vocatum est, quia viderunt supercœlestes quasdam operationes concurrere, tanquam totius generationis huius effectrices, ac potissimas causas. Illi verò qui per characteres occultos, & hieroglyphicas descriptiones Persarum, & AEgyptiorum, experiundo miranda viderunt, partim intellecta, partim verò non, à suis fundamentis non appellauerunt arcanum, at iuxta Pythagoram lapidem philosophorum, de supercœlesti nihil sentientes. Qui autem hoc, vel quocunque modo, sunt assecuti mysterium, occultis figuris ænigmaticis, ac alijs adumbrarunt, vix intelligibilibus vni tantùm inter doctissimorum millena multa millium, idq; diuino potiùs afflatu, quàm humanis laboribus, post quos & intolerabiles, et senio maximo confecto tã rarus vir adeptus fuit. Quo factum vt hinc in infinitos errores prolapsi, quotquot fermè huic rei nauarunt operam, alios in similem traxerint labyrinthum errorum, vt audietur infrà in sequentibus capitulis.

CAP. VI.

De varijs erroribus in genere, quoad materiam, inuentionem eius & notitiam.

PHilosophi varia huic materiæ lapidis nomina præfixerunt occultissima, à similitudinibus allata. Hoc Arnaldus obseruás in Rosario, summam, inquit, in materiæ lapidis huius inuentione difficultatem existere. Vegetabilem enim appellarunt, mineralem, & animalem, non iuxta literalem sensum, vti norunt sapientes diuinorum arcanorum & miraculorum eiusmodi lapidis experti. Huius exemplum præ se fert Raymundi Lullij lunaria, quæ flores mirandarum virtutum edit, familiares ipsis philosophis. Hæc nõ fuit eorum opinio tamẽ, vt per eam intelligeretur aliqua super metalla proiectio, vel præparatio talis inde fieret: verùm abstrusa mens philosophorum aliò spectat. Non aliter materiam suam appellarunt nomine Martagon, cui operationem occultam alchimisticam applicuerunt, cùm tamen id prorsus nihil denotet pręter occultissimam quandam similitudinem. Error etiam non minimus in vegetabilium liquoribus ortus est, quibus mercurium coagulare plurimi conati sunt, & postmodum fixatorijs aquis

aquis in lunam conuertere, existimantes eũ qui hac via citra metallorum auxilium coagulare posset, maximum assecutum esse magisterium. Et quamuis nonnullorum vegetabilium liquores id efficiant, non aliunde fieri, quàm ob resinam, pinguedinẽ aut sulphur terrenum quo abundant, iudicabitur: Hoc mercurij humiditatem, & vitam ad se trahit, quo sese permiscet illius substantię, coagulando præter omnem vtilitatem. Nam crassum & externum sulphur nullum, in vegetabilibus ad perfectam proiectionem in alchimia aptum esse, compertum est mihi: quod etiam non sine maximo dispendio experti sunt plurimi. Etsi nonnulli succo Titimalli albo lacteoque propter calorem intensum & acutũ in eo existentem, coagularunt mercurium, & eiusmodi liquorem lac virginis appellarunt, falsum tamen fundamentum hoc fuit. Non secus de succo Chelidoniæ existimandum, licet colore suo imponat oculis, ac si dotatum esset auro. Colligentes inde vanum quid, certo ac determinato tempore, vegetabile hoc eradicarunt, ex quo animam vel quintum esse venati sunt, vnde coagulantem ac permutantem tincturam efficerent, verùm & hinc nihil præter fatuum errorem ortum.

EXPLICATIO.

Totam huius artis difficultatem, in eo consistere palàm est, quòd materia, ex qua deducendum autumant arcanũ, varijs nominib. adumbratur, ne quibusuis innotescat. Potißima primaq́ sunt, vegetabilis, animalis & mineralis appellationes, non iuxta literam, sed à varijs medijs, & colorum varietatibus in opere hoc necessarijs, & apparentibus. Exemplo sit Raymundi Lullij Lunaria, quæ varios diuersorum colorum flores profert. Maxima de hac inter chymicos versatur controuersia, nonnulli enim volunt esse herbam quandam vigintiocto foliorum duntaxat, iuxta numerum dierum lunaris mensis siue reuolutionis, quæ augmentum atq́ defectum pateretur vt luna, sed à frondiũ dimißionib. & reassumptionibus duntaxat. Alij volunt esse liquorẽ quendam solutorium, velut Chrysulcam, quo metalla dissoluuntur. Cæteri propriam aquã esse dicunt suæ materiæ, in quam resoluitur: cui postremæ opinioni magis, quàm præcedentib. ausim subscribere. Quanquam, aiunt philosophi, in præparatione multa concurrunt, quæ non intrant magisterium nostrum, sed amouenda sunt. Nonnulli succos vegetabilium exprimunt, quibus coagulare mercurium siue argentum viuum, conãtur, vt sunt Titimalli, Chelidoniæ, &c. at quamuis efficerẽt vt congelaretur, nec propterea fixus erit. Istos decipere videtur, quod suprà capitulo præcedenti scriptum est, videlicet per summam separationem magicam, perfectam quandam substantiam emersuram, ex vegetabi-

libus

libus substantijs in mineralia, ex mineralib. in metallica, et ex perfectis metallicis substantijs hæc attollitur in essentiam quintam: non animaduerterūt quod antea habetur, scilicet vnitam substantiam ex creaturis omnibus, vel vniēdam esse, priusquam in terram redituram siue redigendam, vt suprà declaraui. Nemini quicquam persuadere volo, iuuare solùm quod possum. Qui meliùs intellexerit, in medium adferat, libenter enim audiemus. Non veremur à doctioribus addiscere, quod ratio verum esse demonstrat, ex apparentibus operibus Dei. Verùm ex inanib. hominum opinionibus, præter eas demonstrationes, ampliùs omnino nihil addiscimus, qualiscunq; sit ipsorum authoritas. Liquores igitur vegetabilium (aiu)ob resinam, pinguedinē siue potiùs terreum sulphur in ipsis existēs coagulari mercurium posse, falsum tamen hoc esse fundamentū. Non intelligi vult igitur vegetabilem substantiam in mineralem transmutari, etsi dicat perfectam substantiā ex vegetabilibus substantijs in mineralia, sic de reliquis, emersurā, at potiùs vnitā in sua terra subāstiā, debitis operationib. artis, in mineralē naturā, & hanc in naturam metallicam, hoc est, terram in aquam siue lunariam, & istam in ignem aëris medio, trāsituram.

CAP. VII.

De erroribus eorum, in specie, qui lapidem quærunt à vegetabilibus, vt suprà.

ALchimistarum aliquot, expressum è che-

lidonia ſuccum ad ſpiſsitudinem vel conſiſtentiam excoxerunt, expoſueruntque ſoli, vt in maſſam duram per ſe coagularetur, quæ poſtmodum in puluerem minutiſsimum cõtuſa nigri ſpadiceíve coloris, mercurium proiectione verteret in ſolem, quòd vanum eſſe compererunt. Alij admiſcuerunt huic pulueri ſal armoniacum: alij colchotar vitrioli, opinantes ea via ſe ad optatum peruenire finẽ potuiſſe. Solutionibus in flauam aquam adduxerunt, vt ſal armoniacum tincturæ præberet ingreſſum in mercurij ſubſtantiam, nihil tamen inde factum eſt. Nonnulli prædictorum loco, ſuccos Perſicariæ, Bufonariæ, Dracunculi, foliorum ſalicum, Titimalli, Cataputiæ, Flammulæ, ac ſimiliũ ſimul vnà cum ipſo mercurio, per dies aliquot, vitreo vaſe cõcluſos, in cineribus tenuerunt, accidit vt inde mercurius in cinerẽ verteretur, ſed perperam & nullo fructu. Decipiebantur enim iſti, vanis vulgi rumoribus, quibus iactatum fuit, eum qui mercurium, abſq; metallis coagulare poſſet, habere magiſterium integrũ, vt ſuprà meminimus. Eorum plurimi ex vegetabilibus ſalia, olea, & ſulphura traxerunt arte, ſed fruſtra. Nã ex ſalibus, oleis, aut ſulphurib. eiuſmodi, nulla coagulatio mercurij, vel perfecta proiectio, neq; tinctura fieri poteſt. Quòd verò philoſophi, materiam ſuam arbori cuipiam aureæ

reæ ramorum ſeptem comparent, intelligunt eam in ſuo ſpermate metalla ſeptem concludere, & in eo latere. Quapropter materiam ſuam vegetabilem eſſe dixerunt: tum etiã quia non aliter quàm naturales arbores, ſuo tempore varios flores proferunt, materia lapidis colores pulcherrimos patefacit, in florum ſuorum productione. Item ea de cauſa, quia ex terra philoſophica, materia quædam exurgit, vt virgultum ſpongiæ terræ ſimile, dicunt arboris ſuæ fructum ad cœlum tẽdere. Ideo protulerunt in vegetabilibus naturæ, totius rei cardinem verti, ſed non in vegetabilibus materiæ: tum etiam quia ſuus lapis animam, corpus, & ſpiritum in ſe continet, vt vegetabilia.

EXPLICATIO.

Quod priore capitulo de vegetabilibus in genere poſuit, hoc loco ſpecialiter etiam repetit, à ſucco chelidoniæ, quem ob aureum colorẽ exiſtimarunt ſolis naturæ quid in ſe continere. Quo factum, vt hunc ad ſpiſsitudinem coctum & exiccatum in puluerem, ad argentum viuũ in aurũ tranſmutandũ, adſumpſerint, quod cùm fruſtra tentatũ fuiſſe viderent, nec adhuc eo contenti, ſuo puerili magis errore, quàm ſtolido, plæraq; alia adiunxerunt, nedum huic, ſed aliarum ſuccis herbarum, idq; omne fruſtra ſomniatum eſt. Non conſiderarunt enim quod ſuprà tetigimus, genera non commiſceri,

nisi destructis omnino speciebus. At si vegetabilia formalem speciem deponant, vel specificam formam, tum demum acquirunt vniuersalem, ad quamcunque specificam suscipiendum idoneam, sic de cæteris, vti mineralibus, & animalibus generibus intelligendum. Nulla pariter olea, salia, neque sulphura, de quibusuis tracta, nisi spiritualem & generalem absolutè formam acquirant, erunt in hanc rem apta. Materia philosophica non dicitur esse vegetabilis ratione materiæ, sed ob similitudinem quam cum vegetabilibus habet, cùm in terram suam vnita materia, virgultum in ouo suo producit arbori persimile, frondes, flores atq; fructum suum proferens. Hinc facilè colligere potest quiuis ingenio valens, eiusmodi materiam non esse materiam naturæ, sed artis: item in vegetabilibus naturæ positam esse materiam hanc, & non in vegetabilibus materiæ, hoc est, materialibus à natura nudè productis. Nam vegetabilia naturæ, non considerantur ex nuda materia vegetabilium, sed ex potestate siue potentia in vnaquaque materia, siue sit vegetabilis, animalis, vel mineralis, quæ quidem omnia vegetabilem facultatem habent, non secus atque vegetabilia mineralem & animalem, id est, spiritum, animam & corpus habet omne, quod natura produxit ex elementis elementatum. Monarchia lapidis igitur, hæc tria continet potentia nedum, sed etiam actu proueniente, per medias operationes, ex ea.

CAP.

CAP. VIII.

De his qui philoſophorum lapidem in animalibus quæſiuerunt, in genere & in ſpecie.

SImilitudinaria quadã appellatione materiam ſuam, lac virginis eſſe dixerunt, & roſei coloris benedictum ſanguinem, qui tamẽ ſolis prophetis & filijs Dei conuenit. Inde Sophiſtæ collegerunt materiam philoſophicam hãc, in animalium ſanguine, vel hominis exiſtere, occaſione ſumpta, quòd ex vegetabilib. nutriantur. Alij in capillis, in ſale vrinæ, in Rebis. Alij in ouis gallinarum, in lacte, in ouorũ corticum calce: quibus omnibus mercurium figere poſſe putarunt. Extraxerũt aliqui ex fœtido lotio ſal, credentes lapidis eſſe materiam. Non deſierunt qui lapillos in Rebis repertos materiã eſſe iudicarent. Alij membranas ouorum aſperrimo lixiuio macerarunt, quib. etiã ouorum calcinatos cortices albiſſimos niuis in modum admiſcuerunt, his attribuentes arcanum fixationis ad mercurium inuertendũ. Alij ouorum albumen argento comparantes, & auro vitellum, in ſuam elegerunt materiam, admiſtis ſale communi, armoniaco, tartaroq; vſto, ſimul ea vitro cõcluſerũt, balneoque maris putrefecerunt, idq; tantiſper dum

albus color in rubicundiſsimum, ſanguinis inſtar, abiret. Hoc ipſum in fœtidiſsimum deſtillarunt liquorem, prorſum inutilem, ad opus quod quærebant. Alij putrefecerunt albumen & vitellum ouorum, & inde Baſiliſcus generatus eſt, quem in rubicundiſsimum puluerem exuſſerunt, eoque tingere putabant, cuius autor fuit Gilbertus Cardinalis in ſuo tractatu. Plærique fella boum, & aliorum animalium, ſale permiſto communi macerata, deſtillarunt in liquorem, quo cæmentationũ pulueres imbutos, exiſtimarunt metalla ſua tingere poſſe magiſterio quodam, quod partem cum parte nuncuparunt, & inde nihil actum eſt. Aliqui tutiam, ſuis cum additionibus, vt ſanguine draconis, & alijs, cuprum aut electrum in aurũ permutare conati ſunt. Alij iuxta Venetorum artem (vt aiebant) viginti ſtelliones, plus minúsve concludebant olla, fameque redigebant ad inſaniam, vt vnam alia deuoraret, vnica ſuperſtite, quam limaturis cupri vel electri paſcebant, exiſtimantes genus hoc animalium in ventriculo ſuo digeſtione ſola permutationem optatam efficere: poſtremò exurebant animal hoc in rubicundum puluerem, quem putabant aurum eſſe, verùm & eo decepti fuerunt. Alij tandem in piſcibus quos Trutas vulgò ſolent appellare, crematis per liquationem, aurum aliquoties inue-

inuenerunt, non alia de causa, nisi quia genus hoc piscium, in fluminibus atq; torrentibus, squamas, aureasq́; scintillas colligere mandereque solitum sit, rarò tamen id contigit. Tales impostores potissimū inueniuntur in aulis Principum. Non est materia philosophorum in animalibus quærenda: hoc omnes admonitos velim. Attamen est quod sciatur, philosophos lapidem suum animalem appellasse, quòd postremis suis operationibus, virtute nobilissimi huius ignei mysterij, liquor obscurus ex ea materia in suo vase guttatim exudet. Inde protulerunt præsagium hoc, scilicet postremis temporibus, purissimum hominē in terras venturum, per quem liberatio mundi futura esset, guttas hūc ipsum hominem, rosei rubeíve coloris & sanguineas emissurum, quo medio mundum à labe redimeret. Pariformiter & sanguis sui lapidis (in suo genere tamē) leprosa liberabat metalla, suis ab infirmitatibus, & contagio. Quare non immeritò dixisse putarunt, suum lapidem animalem esse. Hoc de mysterio Mercurius ad Regem Calid ita loquitur: Mysteriū hoc solis Dei prophetis permissum est cognoscere, quo fit, vt lapis hic animalis vocetur. Nā in sanguine lapidis huius latet anima sua: componitur etiam ex corpore, spiritu & anima. Simili ratione vocarunt suum microcosmum, quòd rerum omnium

totius mundi similitudinem habeat, & inde rursus animalé esse dicunt, vti Plato magnum mundum animal vocat.

EXPLICATIO.

Ea ratione qua philosophi, similitudine quadam, suam dixere materiam animalem esse, lac virginis appellantes, & sanguinem humanum, plurimi seducti fuerunt, in animalibus quærẽtes eiusmodi materiam. Aliud enim intellexerunt, quàm scripserunt, non vt seducerent, sed vt ad hunc loquendi modum artem detegerent ijs tantùm, quos Deus ad arcanum hoc elegerat. Putarunt enim alios, eiusmodi suum sermonem intricatum mille figuris, intelligere minimè posse. Quicquid enim apparuit, ab initio suarum operationum, in finem vsque Monarchiæ sui lapidis, hoc nomen in artis descriptione sortitum est eius, cuius rei similitudinem retulit, veluti lactis virginis, à similitudine liquoris apparentis instar lactis muliebris: item sanguinis humani, propter eiusmodi rubicundißimum liquorem etiam apparentem. Indigni pariter atque digni hac de causa, quia credebant ista de animalib. dici, non pepercerunt omnibus, quæ ex eis haberi poterant, etiam ad spermata, Rebisq; deuenientes, atq; mẽstrua, hoc est, excrementa quæuis, cùm hominum, tum aliorum animalium quorumcunq;, etiam infectißimorũ venenis ad mortem perimentibus, vt stellionibus ac alijs. Imò tam fuerunt nonnulli temerarij, vt basiliscum

ex

ex ouo generare putrefactionibus præsumerent, cuius fatuæ fuit opinionis Cardinalis quidā nomine Gilbertus, vt ex opusculo suo patet edito in hanc sententiam. Legerant enim ouum in scriptis philosophorum, atq; venenum, vnde concludebant, basiliscum esse materiam eiuscemodi lapidis, quia fertur portentosum hoc animal ex ouo galli veteris, à rubeta siue busone foto, nasci. O stultum genus hominū, qui tam futilia somniāt, nedum indigna philosophis, sed fatuis etiam ridicula! Quid corruptibile cum incorruptibili, de quo materia hæc potißimùm elicienda venit, commune habet? Philosophos materiam suam animalē appellasse, ratio hæc est, sub finem operationum suarum, virtus arcani sui mysterij, materiam exudare guttas instar sanguinis obscuri concitat, quoquidem præsagiuerunt, in postremis temporibus purißimum hominem venturum, qui mundum corruptißimum à labe liberaturus erat, vti sanguis eiusmodi sui hominis arcani videlicet, liberabat vel expurgabat metalla quæuis à lepra, & sua contagione. Duabus alijs de causis animalem esse dixerunt, vna quia conceditur eius vera notitia solis hominibus anima pura supercœlestique viuentibus, vti Prophetis, &c. non mundanis hominibus, qui bruta sunt potiùs, quàm animalia vera: tum etiam in dicto sanguine lapidis, latet eius anima. Secunda ratio est, quia philosophi hunc suum hominem vocant microcosmum, ideo quòd rerum omnium totius mundi similitudinem referat, quapropter animalem vocant, vt hominem etiam naturalem, totius

magni mundi siue magni animalis naturam, in se continere dicunt, ac verè.

Cap. IX.

De his qui lapidem quæsiuerunt in mineralibus generaliter.

ACcesserunt ignari, credentes lapidem esse triplicem, atque triplici genere secretum, vtputà vegetabili, animali, & minerali. Quo factum, vt in mineralibus quæsierint. Hæc sententia longè distat à philosophorum opinione. Asserunt enim, suum lapidem vniformiter vegetabilem, animalem & muneralé. Notandum ad hęc, naturam sperma suum minerale, in varia genera distribuisse, videlicet in sulphura, salia, boracia, nitra, armoniaca, alumina, arsenica, atraméta, vitriola, tutias, hæmatites, auripigmenta, realgara, magnesias, cinnabarim, antimonium, talcum, cachimiam, marcasitas, &c. In istis omnibus, natura nondum assecuta est materiam nostram. Quanquam in aliquibus dictarum specierum, miro se patefacit aspectu, in transmutationem imperfectorũ metallorum, ad perfectionem adducendorum. Lõga siquidem experientia, & igneum exercitium, multifariam ostendunt permutationem, in materia mineralium: nedum

dum ex coloribus in colores, verùm etiam ex vna essentia in aliam, & ex imperfectione sui, in perfectionem. Quamuis etiam natura, medijs mineralibus, aliquam perfectionẽ, præparationibus sit prosecuta, non ideo volunt philosophi, suam lapidis philosophorum materiam, ex vllo mineralium progredi, licet lapidẽ suum esse mineralem dicant. Vnde Sophistæ, sumentes occasionem, ipsum mercurium, varijs torturis persecuti sunt: aliqui sublimationibus, coagulationibus, præcipitationibus, mercurialib. aquis, fortibus, &c. Quæ omnes erroneæ viæ vitandæ sunt, cum cæteris Sophistarum præparationibus mineralium, purgationibus, & fixationib. spirituum, atq; metallorum. Quapropter lapidis præparationes omnes, vti Geberi, Alberti Magni, & similium sunt sophisticæ, purgationes eorũ, cemẽtationes, sublimationes, destillationes, rectificationes, circulationes, putrefactiones, cõiũctiones, solutiones, ascẽsiones, coagulationes, calcinationes, & incerationes, prorsum inutiles: cùm in tripode athanore, furno reuerberatorio, liquefactorio, accidioneo, fimo, cinere, arena, similibusq;: tum in cucurbita, pellicano, retorta, phiala, fixatorio, &c. Idipsum de sublimatione mercurij, per minerales spiritus ad album & rubeum, vti per vitriolum, sal petræ, alumen, crocũ Martis, existimandũ. De quib.

omnibus, falsò fabulatur ille Sophista, Ioãnes de Rupecissa, tractatu suo de lapide philosophorũ, albo & rubeo. Quæ simul ementita somnia sunt omnia. Fugienda sunt etiam particularia sophistica Geberi, prout sunt septenæ sublimationes, aut mortificationes itẽ reuiuificationes Mercurij, cũ suis præparationibus, per sal vrinæ, vel per sepulchrũ factis, quæ singula falsa sunt. Quidam alij, mineraliũ & metallorum sulphuribus, mercuriũ fixare conati, summè decepti fuerũt. Vidi siquidem, hac arte mercurium in corpus metallicum, per eiusmodi fixationes adductum, similitudine quidem, in omnibus, & per omnia, bonum argentum fingentem ac repræsentantem, verùm in testa, falsum vt extitit, etiam apparuit.

EXPLICATIO.

Nonnullorũ opinio est, ex vegetabilibus & animalibus, non secus atque ex mineralibus, singulatim fieri posse lapidem istũ, Hermetis dicto cõfirmatorum, de se loquẽtis ad hunc modum, videlicet in tabula sua Smaragdina: Hac de causa vocatus sum (inquit) Hermes Trismegistus, quia habui tres partes Philosophiæ totius mundi. Quicquid sit, opinionem istorum disputabilem relinquere statui, tantisper donec refutetur ea specierum ad suum genus generalissimũ reductio, de qua suprà meminimus. Hæc enim si confutari debeat, non ab

ignaris

ignaris ſpagyriæ ſcholarum infidelium diſcipulis, fiat oportet, ſed ab igniuomis ſpiritibus, qui ſupercœleſtem illum hauriunt aërem, vnà cum cœleſti iunctum. Non negarim interea triplicem iſtorum gradum, vt mineralib. quidem ſummus competat, non propterea duob. reliquis generibus de ſua perfectione derogãdum, cùm ex eadem radice proueniant, quam illud mineralium genus in origine ſua primùm habuit, putà principio myſterioq; magno. Quanquam ex ſecundis radicibus diuerſis, poſtea proueniunt, vt ex terra vegetabilia, ex aqua mineralia, & animalia permixtim, vti volatilia, ex aëre & aqua, reliqua ex terra & aëre, vel ex aqua ſola. Verùm non alia de cauſa mineralia præcellere videntur, niſi quòd iſtorum generatio cæteris omnib. magis ad centrum, ac propiùs accedit, in quo maximè vigent cœleſtes vires, non deſtitutæ tamen ſupercœleſtibus virtutibus, at magis imbutæ his, quæ longiùs ab eo recedunt ad ſuperficiem, quapropter genus hoc præ cæteris duobus elegerunt. Et quamuis author ignaros vocet eos, qui triplici genere diſtinctum lapidem putant, non alia de cauſa id facit, niſi quia non percipiunt philoſophos faciliorum, propinquiorum, & ſolidiorum electionem ſemper feciſſe, neque norunt cur mineralia per ſe magis eligãt (ignaros putà) quàm alia ſola. Hanc etiam opinionem longè diſtare dicit à philoſophorũ ſententia, videlicet eligendi mineralia pro materia huius Monarchiæ, cùm nõ ſit à natura immediatè data. Aſſerũt itaq; philoſophi materiam ſuam vniformiter, id eſt, ſub vna forma, vegeta

bilem, animalem & mineralem esse. Ex suo spermate, siue semine mẽstruali, natura varia genera distribuit, salium, sulphurum, boracium, nitrorum, armoniacorum, aluminum, arsenicorum, atramentorũ, vitriolorum, tutiarum, hæmatitum, auripigmentorum, realgarum, magnesiarum, cinnabarium, antimoniorum, talcorum, cachimiarum, marcasitarum, &c. Hæc omnia mineralia media sunt, ad metallicam generationem facientia, nondum tamen per naturam gradum lapidis acquisierunt. Etsi nonnullæ dictarum quandoq; specierum, admirandas demonstrãt in metallis mutationes colorũ, essẽtiæ, & perfectionis, nõ propter ea philosophi volũt, suã lapidis monarchiæ materiam ex vllo mineraliũ esse, quãuis numeralẽ esse dicãt suũ lapidẽ. Ex ista lapidis appellatione, tormenta mercurij varia sumpserunt originẽ, i. argenti viui martyria, simul & metallorum inani prorsum labore suscepta fuerunt. Manuales enim operationes, siue Geberi, siue sint Alberti cognomento Magni, vel aliorum quorumcunque, sunt merè sophisticæ. simul & instrumenta sua, de quibus ineptissimè fabulatur ille Ioannes de Rupecissa, cũ suis ex Gebero desumptis mercurij septenis sublimationibus, alijsq; stultificationibus in textu positis. Quanquam se vidisse fatetur author, mercurium vel argentum viuum, in duram substantiam solidam, & corpoream, ac veluti metallicam, eiusmodi falsis operationibus, argento vero persimilem coaluisse, in examine tamen, totum id quod fuit, euanuit in auras per Saturni fulmen.

CAP.

Cap. x.

De his qui lapidem et particularia quæſiuerunt in mineralibus.

Sophiſtarum nonnulli tentarunt ex mercurio ſepties ſublimato, ac toties diſſoluto, fixum oleum emũgere, medio quidem aquarum fortium, quo metalla imperfecta, in perfectionem adducerẽtur: at fruſtraneum opus hoc relinquere coacti ſunt. Aliqui vitriolum ſepties purgarunt, calcinatione, ſolutione, & coagulatione, & cum duarum partium armoniaci ſalis additione, ſublimationeq́ue, vt in aquam albam reſolueretur, cui tertiã partem addidere mercurij viui, vt ea coagularetur aqua: mercurium toties poſtmodũ à dicto vitriolo, & armoniaco ſale ſublimarunt, vt in lapidem abierit. Hunc affirmarunt, ex vitriolo conceptum, rubeum ſulphur eſſe philoſophorum, quo cum ſolutionibus, & coagulationibus progreſsi ſunt ad lapidem, ſed in proiectione fecerunt nihil. Alij mercurium coagularunt, per aquam aluminis, in maſſam durã alumini ſimilem, quam fixatorijs aquis fixarunt inutiliter. Sophiſtæ plurimas rationes fixandi mercurium, ſibi fruſtra præfigunt, quòd in mercurio nihil perfecti cõſtantiſve hab

tur. Hoc fit, vt in vanum addantur ei mineralia, per ſophiſticos proceſſus, quib. omnibus ad maiorem ſui malitiam excitatur, viuuſque magis efficitur, & potiùs ad maiorem impuritatem adducitur, quàm ad aliquam perfectionem. Non eſt igitur ab eo materia philoſophorum petenda: cùm ſit imperfectũ quid, quod ſi ad perfectionem adduci queat, ſophiſtarum progreſsibus valde difficile fuerit, imò impoſsibile, cùm in eo nihil ſit, quod in perfectionem excitari cogíve queat. Aliqui ſumpſerunt arſenicum aliquoties ſublimatũ, ac multoties oleo tartari diſſolutum & coagulatum, idq; fixare prętenderunt, quo cuprũ in argentum verterent, idipſum & nihil, præter ſophiſticam dealbationem quandã prę ſe tulit. Etenim arſenicum ſanè minimè figi poteſt, niſi operator artiſta, ſpiritũ eius tingentẽ ex æquo cognitum habeat, in quo quidem omnes dormitarunt philoſophi, fruſtra conantes ex eo quid efficere. Quicunq; igitur ſpiritum hunc ignorauerit, ſpem ipſum figẽdi nullã habeat, nec virtutẽ illi tribuẽdi, qua tranſmutationis perfectionem acquirat. Quamobrem notum facio cũctis, dealbationem de qua mentio facta eſt, ex falſo fundamẽto depromptam, eaq; falsò cuprum dealbari, non immutari. Sophiſtæ, venerem ad hunc modum laruatam, atque fucatam, ſui duplo admiſcuerunt lunæ,
aurifa-

urifabris vendiderunt,& monetarijs: postremò verò in falsos monetarios sese transmutarunt, nedum qui vendiderunt, verùm etiam illi, qui emerunt. Aliqui ex sophistis, albi loco, rubeum arsenicum sumpserunt, & hoc ipsum in falsam artem abijt. Quoniam quocunque modo præparetur, nihil preter albedinem exhibet. Nonnulli progreßi sunt vlteriùs ad sulphur commune, quod ita flauum coxerunt aceto, lixiuio, vel vrinis acerrimis, per diem & noctem, vsq; dum album emersit. Postmodum eleuarunt ipsum à sale communi, & calce ouorum, per sublimationem coxerunt, & sublimarunt, idque multoties, combustibile semper nihilominus extitit, licet album: eo tamen, crudum fixare mercurium, in aurum conati sunt, at frustra tentatum est, optima tamen inde cinnabaris, & pulcherrima omnium, quam viderim vnquam, resultauit. Hanc fixare putantes, oleo sulphuris per fermentationem, & fixationem, apparentiæ nonnihil habuit, verùm secus atque res ipsa desiderabatur, euenit. Alij sulphur commune redegerunt in formam hepatis, olei lini, laterini, vel oliuarum admistione, coquentes in aceto. Postmodum in lapidem marmoreum effundentes formam hepatis effecerunt. Hoc destillarunt in oleum citrinũ, igne lento primùm, sed suo damno sunt experti,

ſe nihil egiſſe, ad lunę tincturam in aurum, vti putarunt. Vt mineralium infinitus eſt numerus, non aliter & præparationum eorum multa varietas: quarum hoc loco latiorem facere mentionem diſtuli, quòd peculiarem tractatum requirant. Cauendum etiam à ſophiſticis oleis vitrioli, & antimonij. Itidē ab oleis metallorum imperfectorum & perfectorum, auri, ſiue argenti. Quoniam, etſi horum operatio potentiſsima ſit in rerum natura, tamen verus proceſſus, in hunc vſq; diem, paucisſimis cognitus eſt. Abſtinendum etiam à ſophiſticis præparationibus mercurij vulgi, arſenici, ſulphuris, & aliorum ſimilium, per ſublimationem videlicet, per deſcenſum & fixationem cum aceto, ſale petræ, tartaro, vitriolo, ſale armoniaco, ea tamen via & ratione, quam libri ſophiſtarum docent. Item fugite ſophiſticas tincturas à marcaſitis, & croco Martis deſumptas, & ab ea ſophiſticatione, quæ partis cum parte nomen habet: lunæ fixę, ſimiliumq; nugarum. Nam, etſi aliquam ſuperficialem veritatis apparentiam exhibeant (quæ quidem lunæ fixatio, parui laboris ac induſtriæ) tamen eiuſmodi progreſſus præparationis, eſt nullus, & inualidus. Compaſsione motus igitur, erga beneuolos operarios artis huius, volui verum philoſophiæ fundamentum patefacere, tribus particularib. arcanis, videlicet: vno

pe-

er arsenicum: alio per vitriolum: tertio verò, er antimonium explicatis. Ex quibus doce- o veram proiectionem super mercurium & nperfecta metalla.

Explicatio.

Iam de sophisticatis operationibus agit singulatim, rca potissima mineralia, per ignaros artifices passim surpatis, vti circa mercurium, vitriolum, arsenicum, lphur, antimonium, &c. Quæ omnia, quia in textu tissimè posita sunt, ac per ordinem, hoc loco transibi- us, at explicare solùm conabimur, quæ videbũtur in is obscuriora. Sæpiùs itaque mecum agens, admirari equeo stoliditatem hominum quærentium aliquid eo co, in quo non habetur quod quærunt, vel si haberi po st, modum inueniendi, vel eliciendi priùs non addi- unt, quàm quærant. Huius defectus potissima causa t, quòd finem rerum non perpendant, nec suorum la- rum. Si roges igitur in quem finem alchymista la- ret, non aliter tibi respondebit, quàm vt aurum & gentum ad medicinam, vel ad opes accumulandas ueniat. Verùm ex quo, vel in quo si petas ab eo, re- ondere nihil nisi dubius poterit, modò huc atque illuc scurrens, iam ex vegetabilibus, mox inde ad anima- conuersus, & in istis vacillans, ad media mineralia conferet, nec in istorum prouincia tutus, ad metalla, m imperfecta tum perfecta refugiũ quæret, ad eum aq; modum vagabundus, tempus, oleum, & operam

perdit. Singulos tandem conatus istos examinemus, vt pateat, qua ratione tam pauci hanc artem inueniant. Primò ditari sibi cupiunt omnes ferè, vllo vix eos inter excepto, vel per medicinæ pallium, quæ alioquin dare dicitur opes, vel sine medio, viliorum transmutationibus in preciosissima metalla monetaria. Quid quæso? an Deus tam abdita suorum thesaurorum arcana in hunc vsum aperit hominibus indignis? Summum hoc est omnis sapientiæ mysterium, quo decorare pater filios suos in hoc mundo vult, idq; paucissimos quanquam in alio, multos alios longè præstantiori dono coronat, prioribus etiam non denegato. Filiorum igitur panem putásne canibus dabit, qui omnibus inuident, etiam coniunctissimis ossa, nedum quæ soli deuorant, sed & quæ habere nequeunt? Hæc est potissima & absolutissima causa, cur tam infinitus alchymistarum numerus in perditionem abit. Testis adducetur ab vnoquoque propria conscientia, et seipsum non artem ipsam condemnabit. Ad secundum sui responsi membrum vt veniamus, in quo videlicet quærendus, & ex quo sit habendus eiusmodi thesaurus. Si dicat ex vegetabilibus, quæritur, qua ratione tandem horum naturam in mineralem transmutabit? Non dubito quin proponat mihi, quod antea dixi de specierum ad sua genera generalissima reductione. Sed quid hac opus tantóque labore, cùm natura nobis absoluta mineralia proponat lõgè meliora his, quæ per artem, si tamen fieri queant, parabuntur? Dicet fortè vegetabilium naturam non esse ad naturam minera-

len

em adducendam, sed per seipsam exhibere posse lapidis Monarchiæ materiam. Interrogatur hoc an fieri, quóve modo possit, vt vegetabilis virtus per se mineralia transmutet, cùm transmutatio naturam sequatur transmutantis, & non transmutati? alioquin fieret, quod hoc loco, vt nobilius per ignobile transmutaretur in degenerem naturam: id autem esset præter spem ac desiderium, cùm naturæ, quæ ad altiorem gradum anhelat semper, tum artificis qui detrimentum inde pateretur? Rursum, vbi dixerit materiam dictam ex mineralibus esse petendam: Quæritur quamobrem potiùs in imperfectis perfectio, quæ ipsis non inest, quàm in perfectis, in quibus est summa perfectio mineralium, atque metallorum omnium, quærenda sit? Tritum hoc philosophorum dictum in medium adferamus, videlicet: vbi natura desiit operari, ibidem incipere debet artifex. At natura non desinit indies operari in mineralibus, & metallis imperfectis, alioquin imperfecta dici non possent, sed in perfectißimis, quo fit, vt ex istis postremis, iuxta sententiam allegatam, sumi debeat materia lapidis Monarchiæ spagyricæ. Replicabit perfecta iam demeritam habere formam, & carere ad hãc desiderio, quo tenẽtur imperfecta, propter quod faciliùs arte ducantur ad perfectionem. Nisi perfectionem solam in arte nostra quæras, parum sanè profeceris, vt ex libra Saturni, libram æqualem auri cõficias: plus enim exposueris, & sumptuum feceris, vt interim de laborib. taceam, decuplo, quàm aurũ hoc valeat, & ad hunc modũ non assequeris quod optas, nẽpe diuitias.

Concludes inde dubio procul, si non ex vegetabilibus, mineralibus, et animalibus haberi materia hæc valeat, ergo ex nullo, quòd præter ista nihil aßignari generũ, specierum, vel indiuiduorum naturaliũ, & corporeorum possit in hac inferiori natura. Respondere tibi nemo potest ad hæc meliùs, ipsomet authore suo textu, his verbis: Quoniam (inquit) etsi horum operatio potentißima sit in rerum natura, tamen verus processus, in hunc vsque diem, paucißimis cognitus est. Abstinendum igitur à sophisticis dictorum præparationibus, ac alijs omnibus, ea ratione tamen & via, quam libri sophistarum docent. Non omnino negat author, ex prædictis Monarchiam hãc nostram extrui posse, alioquin in sequentibus non posuisset huius rei fundamentum tribus iactum ab initio mineralibus, videlicet arsenico, vitriolo, & antimonio, tanquam lapidibus ad tincturam plurimùm facientibus, idq́ꝫ particularibus si non vniuersalibus tamen. Sed redeamus ad hunc vel vnicũ inter millena millia, qui sese probare potest, vtrum sit à Deo dignificatus, vel electus ad artem, ne suas frustra dilapidet opes, laboresq́ꝫ vanos obeat, ac tandem in desperationem actus, Deo maledicat, quod quidem se facere non credit, cùm eius arcanis mysterijs, & arti maledicit, veritatemq́ꝫ detestatur, quam assequi non potuit, non alia de causa, nisi quia Deus noluit ipsum, hac via, reddere beatum in hac vita, sed in alia per filium solum. Propriam igitur suam conscientiam examinet, summa cum pietate, ab hypocrisi prorsum aliena, in quem finem ipse diuinum hoc mysterium expetat, quo

animo cordeq́; & in quem vsum prosequatur: si ad honorem Dei primùm, vt sapiens euadat in veritatis cognitione, tum demum in vtilitatem proximi, nulla penitus interueniente, vel ambitione honorũ huius mundi, vel, diuitiarum appetentia, vel exercendæ tyrannidis, etiam aduersum inimicos, aliorúmve similium affectuum. Nisi enim ab his omnibus cor purum & immaculatum habere se cõperiat, hinc procul abeat, nam in eius ruinam hæc ars omnino posita est, quod nisi persuasum habeat, experiatur. Qui verò se liberam à vitijs dictis, penitus habere conscientiam ac sanam verè iudicabit, præmissis fusisq́; pijs ad Deum orationibus, aggrediatur opus alacri prorsum animo, & vbi perseuerarit in ea pietate, fieri nulla ratione potest, quin exaudiatur, et voti compos fiat. Faxit Deus Opt. Max.

CAP. XI.

De vero & perfecto arcano particulari ex arsenico ad albam tincturam.

SCripserũt aliqui compositum arsenicum ex mercurio, & sulphure: alij ex terra & aqua, plærique ex natura sulphuris. Quocunq; modo id sit, eius natura talis est, vt rubeum cuprum in album transmutet. Ad eam etiã præparationis perfectionem adduci potest, vt verè perfecteq; tingat. Non ea via, quam docent praui sophistæ, vt sunt Geber in summa perfe-

ctionis, Albertus Magnus, Ariſtoteles Chimiſta in libro perfecti magiſterij, Raſis, & Polydorus: nam ſcriptores iſti quotquot ſunt, errant, vel ex inuidia falſa quæq; ſcribunt, proponuntque recepta, quia veritatem etiã ignorarunt. Arſenicum in ſe tres continet ſpiritus naturales: primum volatilem, adustibilẽ, corroſiuum, & omnia metalla penetrantem. Hic ſpiritus dealbat venerem, & poſt aliquot dies reddit ſpongioſam. Quod artificium ad eos pertinet duntaxat, qui cauſticam artem exercent. Secundus ſpiritus cryſtallinus eſt, ac dulcis. Tertius, eſt ſpiritus tingens, ſegregatus ab alijs prædictis. Has tres in arſenico proprietates naturales inquirũt veri philoſophi, ad perfectam ſapientum proiectionem. Barbitonſores verò chirurgiam exercentes, dulcem & cryſtallinam expetunt naturam, à tingente ſpiritu ſeparatam in vſum curationis vulnerum, & ad bubones, carbunculos, antraces & cætera ſimilium vlcerum vitia, non niſi miti quodam artificio curanda. Cæterùm ſpiritus ille tingens, niſi purum eius ab impuro ſeiunctum ſit, à volatili fixum, & à combuſtibili tinctura ſecreta, proiectionem ſuper mercurium, venerem, aut aliud quodcunque metallum imperfectum, haudquaquã expediet ex voto. Philoſophi omnes, arcanũ hoc, vt myſterium excellentiſsimum occultarunt.

Spiri-

Spiritum eiusmodi tingentem, ab alijs duob. secretum, vt suprà, coniunges spiritui lunæ, simulq; digeri permittes, spatio triginta duorũque dierum, ac vsq; dum corpus nouũ induerint. Postquã ad quadragesimum diem naturalem, calore solis, in inflammationem accensus fuerit, apparet spiritus cãdore nitido, perfectoque tingendi præditus arcano. Tandem ad proiectionem aptus est, videlicet eius pars vna, super sedecim partes imperfecti corporis, iuxta præparationis acuitatem. Apparet inde luna lucens, & excellẽtissima, tanquam è terræ visceribus eruta.

EXPLICATIO.

Pollicitus est suprà fundamẽtum artis, palàm facere trib. arcanis particularibus, quapropter ab arsenico facit exordiũ. Negauit priùs (inquies) mineralia materiam exhibere lapidis, quî fit vt modò laudet arsenicum ad transmutationem? Scio maximam lectorum partem, hac via seduci per seipsos, quia non animaduertunt in singula philosophorũ verba diligenter, vt intelligant sagacitatem ingeniorum, artem istam, in describendo, velantium, idq; nudißimis aliquando verbis, ne tamen appareat nuda cunctis, & præsertim indignis hominibus. Nõ pollicetur antea materiam lapidis Monarchiæ, sed fundamentum ponere ad particulares tincturas metallorum, lõgè differentes adhuc à lapide,

qui quidem ad medicinam humani corporis desideratur magis, ad quam arsenici tincturæ, & aliæ similes, conducere hoc loco minimè videntur. Originem itaque ponere non curat arsenici, nec nisi naturam eius in tingendis metallis, veluti rubeum cuprum in album, idq; duobus modis, priore per sophisticationē electriq; compositionem, vt vocant: posteriore verò, in tincturæ argenteæ veram perfectionem, nō ex processu doctrináve sophistarum in textu positorum, sed ex arte verißima. Triplicem igitur ponit arsenici spiritum, primum volatilem & adustibilem, secundum crystallinum, et tertium tingentem, ad hanc rem solùm idoneum. Vtilitates duorum præcedentium in textu sunt, vsum verò tertij iam examinare libet. Huius tinctura separanda venit à suo corpore, in spiritum suum, eumq; tingentē, qui spiritui Lunæ iunctus, & præparatus, vt in textu, metallum tingit in argenti colorem naturali præstantem, vel æqualem. Notādum hoc loco, vt alijs, eiusmodi tincturas non solùm ex mineralibus procedere, sed etiam & potißimùm ex fermento perfectorum, pastam imperfectorum conuertente in fermento similem pastam, accedente ad formam tinctura extranea, formæ tincturam intrinsecam augente, quo corpus, animæ, nobilioris quàm antea, medio, spiritum peregrinum perfectißimè retineret. Ecquis non videt in eiusmodi tincturis, tria in vnum conuenire, videlicet spiritum, animam, & corpus, id est, vegetabilem, animalem, & mineralem, vires, virtutes, atq; facultates? Dicet fortè quispiam, quid hoc audio contra sententiam philosophorum,

ſophorum, vnō omnium ore ſimul aſſeuerātium, ex vnica materia tantùm conſtare ſuæ Monarchiæ ſiue lapidis materiam? Supra quod ſolui poteſt argumētum, eo quod antea dixi, ñullam hîc fieri lapidis mentionē, ſed metallorum tincturæ tantùm: eadem eſt radix mineralium & metallorum quorumcunq;, quæpropter in identitate & concurrentia radicum ſimilium, non eſt multitudo, ſed vnitas per idētitatem. Aſcendunt enim mineralia, per infimos & medios gradus, ad vnicū & ſummum vltimatæ perfectionis, qui eſt in auro ſolo, vel in argento ſolo. Sunt itaq; mineralia cuncta, ſi non actu, potentia tamen aurum, vel argentum, ſucceſſu tranſmutationis vnius in alterum, idq; tantiſper dum ad ſcopum perueniant, ni fortè per immaturam meſſem abſcindantur, & hoc ipſo naturæ conatus, qui nunquam ceſſant, quouſque prædeſtinatum finem generationis pertigerint, impediantur. Tum demum, introducta finali forma debitæ materiæ, quieſcit motus naturæ. Iā, vt opinor, intelligis, quod priùs allegauimus, artificem incipere debere motum artis, vbi naturæ quies incepit. Hæc erant obiter diſcurrenda proponendaq; lectoribus, vt præcedentia, tum quæ ſequuntur intelligerent.

CAP. XII.

De arcano vitrioli, rubeaq; tinctura ex eo proliciendа, generalis inſtructio.

VItriolum, nobile admodum inter cætera minerale, plurimæ ſemper exiſtimatio-

nis, penes philosophos existit, quòd præ cunctis altissimus Deus hoc dotib. miris adornarit. Eius arcanum figuris ęnigmatibusque velarunt vti hoc est: *Visitabis interiora terræ, rectificando inuenies occultum lapidem veram medicinam.*



67\. Per terram intellexerunt vitriolum ipsum, & per interiora terræ, dulcedinem eius, ac rubedinem. Quoniam in occulto vitrioli subtilis, nobilis, & fragrantissimus succus, ac purum oleum latet. Cuius prolectionis modus, calcinatione, vel destillatione haudquaquam aggrediendus. Etenim viriditate sua priuari minimè debet: qua quidem statim atque spoliatum erit, arcano pariter & viribus carere necessum est. Notandum vtique hoc loco, mineralia nedum, verùm etiam ipsa vegetabilia, similiaque virorem extrinsecus demonstrãtia, rubeum sanguinis instar oleum in se continere, quod arcanum eorum est. Inde patet, pharmacopœorum destillationes irritas, vanas, atque stultas, nulliusq; momenti esse, quòd sanguineum roborẽ vegetabilium prolicere minimè norint. Ipsa natura sagax, vegetabilium aquas omnium, in citrinum colorem vertit, & inde pòst, in rubicundissimum vt sanguis oleum. Tardiùs idipsum fieri, causa potissima est, destillantium operariorum ignorantium nimia præcipitatio, quà viriditas absumitur. Naturam suis viribus corroborare non didicerunt,

[-]erũt, quo nobilis ille viror, per ſeipſum in ru-[b]orem debet rectificari. Exemplo vinum al-[b]um eſt, ſeipſum in citrinum colorẽ digerens, [&] ſucceſsiuo tempore, botri ſui virens color, in [r]ubeum ſub cœruleo latentem per ſe vertitur. [D]eperdita igitur vegetabiliũ & mineralium [v]iriditate, per ignauiam operantium, eſſentia [p]ariter & ſpiritus olei, balſamique arcanorum [n]obiliſsimi perierit.

EXPLICATIO.

Poſtquam de primi mineralis tinctura dictum eſt, [a]d metalla, nunc de mi[n]us volatili minerali metallo [p]rimo, vitriolo videlicet, eiusq́; tinctura, dicere ſtatuit [ſ]ub ænigmate hoc: Viſitabis V. Interiora I. Terræ T. Re-[c]tificando R. Inuenies I. Occultum O. Lapidem L. Ve-[r]am V. Medicinam M. Viſitabis igitur interiora ter-[r]æ, hoc eſt, ſcrutaberis dulcedinem ex vitriolo, rube-[d]inémque. Non ea ratione hanc vult extrahi, neque [v]ia quam tenent falſiſsimi proceſſus calcinationum, [v]el deſtillationum. Viriditas enim eſt conſeruanda, [p]ræter quam arcano ſuo priuatum eſt, ac virtuti-[b]us potiſsimis. Ex eiuſmodi viridi ſubſtantia vi-[t]rioli, oleum purum fragrantiſsimum & rubicundiſ-[ſ]imum eſt extrahendum. Nec ſolum in vitriolo, ſed et-[i]am in vegetabilibus omnibus eſt obſeruanda viriditas [i]pſorum, in ea ſiquidem anima latet, ac oleum ſangui-[n]is inſtar rubeum, quod optimum eſt arcanũ eiuſmodi

rerum. Videmus per naturam idipſum nedum in vegetabilibus, verùm etiã in animalibus, vt ex cibi potusq́, ſubſtantia cuiuſcunq; coloris, viriditas quædam in ſtomacho generetur, ex qua, per epatis opus, enaſcitur ſanguis, animæ potiſſima ſedes, & balſami, ſiue olei ſpiritus vehiculum, arcanumq́; nobiliſſimum. Apprimè notandus eſt viror eiuſmodi, cùm naturalis, tum artificialiter extra corpora naturalia tractus, ne cum eo pereant rerum potiſſimæ virtutes. Memini iam excellentiſſimi cuiuſdam paradoxici verbi, nobiliſſimi viri D. Ioannis Comitis Mirandulæ, qui cæteras inter ænigmaticas ſuas ſentẽtias, hanc difficilimam intellectu, neq; per ipſum, neq; per alium, quod ſciam, vt oportuit ex genuina mente authoris, expoſiti: Linea viridis (inquit) gyrat vniuerſum, id eſt, anima mundi viridis, id eſt, viuens & ex Deo viuificans, gyrat, hoc eſt, circunuoluit vniuerſum mundum, intelligito naturam ſuperiorem totam, nedum circumagit, verùm etiam inferiorem gubernat viuificando, ac in ſingulos annos inſtaurando virorem, id eſt, vitam, globulum terræ & aquæ renouando. Mirandum ſanè admirãdi plurimùm ingenij dictum hoc eſt, ex quo multa colligi poſſunt arcana, potiſſimùm à ſublimatis pariter & ingenioſis viris. Conſideretur primùm omnia vireſcere dum viuũt extenſiùs, nempe terram & maria, flumina, cœlum ipſum, & cætera, quæ aliũm interdum colorem accipiunt per vices, dum remiſſiùs viuunt, hoc eſt, occultatur vel recolligitur intrò vita magis, quàm vbi manifeſtatur. Æſtate renouata facies terræ viuens magis

viret:

viret: hyeme verò minùs, at potiùs läguet induto mœroris fusco & nigricante colore. Maria tum maximè virent, dum feruidißimè viuunt, id est, agitãtur. Item cœlũ, sub cæruleo colore, virori proximo cæteros inter, lætißimè viuere cernitur, dum sereniùs sub dicto colore viret. Quid multis? Læta viror vita est, mœrori conuenit alter color, qui ab illo, quantò remotior, tantò languidiorem vitam indicat. Cõcludimus inde, totam vitam, cùm naturæ, tum hominum vicißitudine, mœroris & læticiæ gubernari, sed omnium sapientißimè prouidißimeq́; regi, cùm extrema dicta copulat medium. Plura colligere liceret ex ea pulcherrima pulcherrimi ingenij sententia, si pateretur institutum, quod iam suscepi breuiter exequendum: alijs, & me doctioribus in adepta Philosophia, locum cedo libenter, in quo, & per quid, mœror & lætitia, vere & autumno suis contemperanda sunt, enucleandi.

CAP. XIII.

De processu vitrioli ad rubeam tincturam, specialis instructio.

VItriolum in se multas lutosas & viscosas imperfectiones continet: quapropter aquâ viriditas eius elicienda sæpiùs, & rectificanda, vsque dum terræ omnes impuritates exuat. Quibus transactis rectificationibus omnibus, apprimè cauẽdum, ne materia soli sit

exposita, quòd hic virorem illius in pallorem vertat, absorpto simul arcano. Calido seruetur hypocausto cõtecta, ne puluere sordeat. Digeratur postmodum vitro clauso, mensium aliquot spatio, ac tantisper, dum varij colores appareãt, supremaq; rubedo. Nec dum isto processu rubedo satis fixa fuerit existimãda, quin ab interioribus accidentalibusq; terræ sit inquinamentis repurganda latius, ad hunc modum: Rectificãda venit aceto, donec terreum inquinamentum prorsus ablatum sit, fecesq; semotæ. Hæc est eius tincturæ vera, & optima rectificatio, de qua benedictum oleum est eliciendum. Ab eo vitro conclusa diligentiùs, alembico superposito mox, & bituminatis cõmissuris, ne spiritus exhalet, eius olei destillatione spiritus igne suaui lentoque proliciendus est. Oleum hoc pharmacopolico balsamo quouis & aromatico delectabilius atq; dulcius est, acredine carẽs omni. Residebit in fundo cucurbitæ terra quædam albissima, nitens candensq; niuis instar, hanc serua tuereq; ab omni puluere. Ea ipsa terra prorsum à sua rubedine separata est. Inde subsequitur maximũ arcanum, vtputà supercœleste matrimonium animæ summè purificatæ, & ablutæ per agni sanguinem, cum splendente, nitido, purificatoq; suo corpore. Hoc est verum matrimoniũ supercœleste, quo vita prolongatur in diem postre-

postremum, destinatumque. Ad hunc igitur modum, anima spiritusque vitrioli (qui sanguis est eius) cum suo corpore copulantur purificato, vt in æternum sint inseparabilia. Quapropter, excipe terram hanc nostram foliatam phiala vitrea, cui sensim oleũ suum affundatur. Animam suam corpus, momento recipiet amplecteturque. Quandoquidem corpus animæ desiderio plurimum afficitur, & anima corporis amplexu perfectissimè delectatur. Coniunctionem eiusmodi positam in arcanorum furnum, quadraginta diebus ibidem contineto. Quibus trãsactis oleum habebis absolutissimum mirandæ perfectionis, quo mercurius, & reliqua metalla quæuis imperfecta, vertuntur in aurum. Iam ad multiplicationem animũ applicemus. Recipe mercurium corporalem, portione duarum partiũ, quẽ tribus eiusmodi põderis partib. olei dicti perfundas, ac maneant simul diebus quadraginta. Hac proportione ponderis & ordine multiplicatio fit in infinitum,

62 terram

EXPLICATIO.

Absolutis in genere virtutibus vigoris in vitriolo delitescentis, nunc particularius docet artem habendæ huiuscemodi vitæ, cuius praxin, quia habetur in textu clariùs, quàm declarari queat, ea

iam elucidabo, quæ videbuntur obscuriora. In primis considerandа est vita, cùm mineralium, tum metallorum, tam occulta, quàm manifesta, quæ relucere cernitur in vitriolo sub charactere Veneris, quæq; vita prima, primumq; metallum in adepta Philosophia nuncupatur. Hæc sanè præbet veris & sincerioribus philosophis amplißimum argumentum latißimæ doctrinæ in adepta Medicina. Non enim præcedenti capitulo frustra dictum fuit ab authore nostro: Visitabis interiora terræ, putà metallicæ, hoc est, vitrioli, &c. Generalis vita, metallorum & mineralium species ac vitas in se complectitur, quo fit, vt istæ particulares ad suum genus redire poßint. Si vitam igitur omnium rerum intelligere velis, à virore suo, tandem ad sanguinem, et vitæ nutrimentum deuenias oportet. Omnis enim vita naturalis nutriri debet, alioquin recedit à corpore quod hoc inhabitat, ad fontem vitæ rediens, in quo viuit absque nutrimento. Nam vita vitarum fons æternus, æternè per se, suaq; vita viuit sola, non indigens aliena, sed alijs omnibus vitam abundantißimè tribuit, absque detrimento, vel imminutione propriæ suæ vitæ. Quamobrem vita non propter seipsam, at ratione corporum quibus inest, nutritur: estq; nutrimentum copula vitæ cum corpore, siue medium quo retinetur in hoc illa tantisper, dum præfinitus adsit iam terminus, qui nutrimentum impedit, ne recipiatur à vita: alioquin tam diu vita manet in corpore, vsque dum nutritur absq; nocumento. Quantò verò nutrimentum est vitæ conuenientius ac spiritualius, tantò maiore delectatione

ſtatione recipitur, & econtrà. Cardo hic eſt, circa quem vitæ longæ negotium potiſsimè vertitur. Quapropter adepto medico ſummè neceſſarium eſt, operam nauare diligentiſsimam, vt ſimile nutrimentum vitæ parare diſcat, eoq́ vitam inſtaurare tendentem ad ſuam hyemem, æſtiuo, cùm ſuſtẽtatiuo, tum per inſtaurationem medicaminoſo cibo. Tale reperiet in vitriolo, cæteriſq́ id genus, virore vitaq́ reliquis præſtantioribus corporibus. Hactenus de vita, medicinam humani corporis concernente, dictum ſit. Iam de medicina metallorum, vt ex ipſo textu nobis audiendum eſt, in tranſmutationem eorum quæ mortua ſunt, id eſt, imperfecta, comparatione duntaxat ad tranſmutantem medicinam, & non aliter ſic dicta. Nam viuunt omnia ſuo modo quæ creata ſunt, vti metalla perfecta, pariter & imperfecta, licet impeditè, vel liberè magis vnum altero. Sed elixir hoc minerale ſiue metallicum, quod ab impedimentis metallorum imperfectorum, vitam liberare debet, excellentiſsima & intenſiſsima viuere vita neceſſum eſt, ac velut in centrum coarctata, quo per extenſionem vehementiſsimam, excitare vitam in ipſis ſoporiferam, imò narcoticam, valeat. Quò cùm adduxeris, vt iſtam in ſolidiſsimis corporibus efficiat mutationem, curabis diligentiore quam potes opera, vt citra noxam, & periculum ſimile quid operetur in humanis. Hoc opus, hic labor eſt, efficere ſcilicet, vt metalla ſimiliter curentur humana, & vita ſupernaturali, ſupernaturaliter excitata, viuificẽtur, eámque longam viuant. Paratur vt in textu, medicina hæc

primùm ex supercœlesti matrimonio, quod interpretatur author esse coniunctionem, at potiùs vnionem animæ summæ purificatæ, & ablutæ per agni sanguinem, cum splendente, nitido, purificatoq́ suo corpore. Hoc loco videtur authoritatem sumere à sacrosanctæ Resurrectione, ac si ad imitationem diuinorum operum & supercœlestium, opera hæc adeptæ Medicinæ, spagyricè, quantùm ex Deo, tantùm liceret illustratis suis hominibus, ad eius honorem & vtilitatem proximi facere. Quis tãdem audebit, nisi temerarius quispiã censor omnium, ea quæ pietatis & charitatis maximè sunt, ad aliquam superstitionem & impietatem contorquere? Non intelligit author, similem naturalium corporum fieri resurrectionem, vllis humanis viribus, neque sapientia, sed virtute sola Dei, cuius omnipotentia latet in omnibus, operatrix omnium operum admirabilium, optimorúmque. Sed ad rem vt redeam, inuidis ac perfidis à tergo relictis hominibus malæ voluntatis, Magneticum hoc loco vinculum naturæ, Paracelsus apertissimè docet inquiens: Quandoquidem corpus animæ desiderio plurimùm afficitur, & anima corporis amplexu perfectissimè delectatur. Videmus id iterum ex sacra Genesi redundare per diuinam affluentiam. Siquidem creator omnium, postremam suam creaturam Adamum vnicum hominem, in duas partes diuisit, masculum & fœminam, at masculo sapientiam dedit primò, cognitionem eiusmodi vinculi siue coniugij supernaturalis

agno-

agnoſcendi, vltro & non interrogatus, eiuſcemodi verbis videlicet: Hoc nunc os ex oſsibus meis, & caro de carne mea, hæc vocabitur virago, quoniam de viro ſumpta eſt. Quamobrem relinquet homo patrem ſuum, & matrem ſuam, & adhærebit vxori ſuæ: & erunt duo in carne vna. Ecce nunc vinculum ſupernaturalis matrimonij veri hominis, id eſt, viri & mulieris, ſine quo, etſi carnali copula, perq; ſingulas externas ceremonias etiam in Eccleſia factas, coniunguntur, non ſunt hoc ſupercœleſti, ſed mundano carnalíque matrimonio iuncti, quod leui quoque flamine diſſoluitur.

Hoc poſterius, per Adami verba priora, hæc videlicet, notatur: Ecce (inquit) os ex oſsibus meis, & caro de carne mea: hæc vocabitur virago, quia de viro ſumpta eſt. Nil ibidem reſonat præter mundani matrimonij copulam. At quod ſequitur, nempe, Quamobrem relinquet homo patrem & matrem ſuam, hoc eſt, omne quod ſibi chariſsimum eſſe vnquam poteſt, & adhærebit vxori ſuæ, hoc eſt, nihil ipſi charius eſſe poterit, quod ipſum alienare poſsit ab ea, ſi modò matrimoniũ ſupercœleſte fuerit, ſimul ac corporeũ. Hæc eſt vna pars vnionis pro parte maſculi, iã pro vtroq; ſequitur indiſſolubile vinculum: Et erunt (inquit) duo in carne vna, hoc eſt, duo ſpiritus, ſiue animæ duæ formales, conſentientes in vnicam voluntatẽ, & materiam formalem, ac indiſſolubilẽ vnionẽ. Vt igitur hoc loco duo videntur matrimonia, pariter & in vitriolo, quorũ vnũ eſt naturale, ſiue per naturam coniunctum ab initio ſuæ gene-

rationis: alterum verò, supernaturale cœlesteq́, non solubile, conueniens in arte, supernaturaliter tamen absoluta, licet inchoata sit artificialiter in præparatiõe. Plurima de duplici matrimonio poßēt in medium adduci, veluti de firmamento superiori, & inferiori globulo, vt in meis De luce naturæ Physicis habetur latiùs, at quia peculiarem tractatum requirunt, tum etiam quòd multa paucis concludere semper mihi studium fuit, his de satis.

CAP. XIIII.

De secretis & arcanis Antimonij, ad rubeam tincturam, in transmutationem.

ANtimonium est verum auri balneũ. Philosophi autem vocarunt illud examinatorem & Stilangem. Poëtæ verò dicunt, in eo lauacro Vulcanum lauisse Phœbum, & ab omnibus sordibus, imperfectionibusq; repurgasse. Natum est ex purissimo nobilissimoque mercurio & sulphure, sub vitrioli genere, in metallica forma splẽdoreque. Nonnulli philosophi vocarunt album plumbum sapientũ, vel simpliciter plumbum. Sumito igitur antimonij, eiusque perquã optimi, quantum voles, hocipsum in aqua forti sua dissolutum, in aquam frigidam eijciatur, addito tantillo croco Martio, vt in sedimentum ad fundum vasis deci-

decidat: aliter enim feces nõ exuit. Poſtquam ad hunc modum ſolutum erit, ſummam acquiſierit pulchritudinem: ponatur in vitrum, luto compactiſsimo circumquaq; munitum, vel in bociam lapideam, & admiſceatur tutiæ calcinatæ, ſublimatæ, ad perfectum gradum ignis: cauendum accuratiùs à liquefactione, quoniam diſrumpit vitra nimio calore. Ab vna libra hui9 antimonij, habetur ſublimatio, dierum ſpatio duorum perfecta. Sublimatum hoc, in phiala poſitum, vt tertia parte aquam attingat, lutato vaſe, ne ſpiritus euolet, ſuſpendatur ſupra tripodem arcanorum, & vrgeatur opus igne lento primùm, ſolis caloris inſtar æſtate media. Tum demum, decimo quoque die, ſenſim augeatur. Etenim calore nimio rumpuntur vitra, nonnunquam & furnus in fruſta diſsilit. Dum vapor aſcendit, varij colores apparent: moderetur ignis tantiſper dum rubea materia conſpiciatur. Poſtmodum aceto ſoluatur acerrimo, fecibus abiectis: abſtrahatur acetum, iterumq; ſoluatur in aqua communi deſtillata, quę rurſum abſtrahatur, & ſedimentum igne vehementiſsimo deſtilletur, vitro clauſo accuratiſsimè: aſcendet corpus totum antimonij, in oleum rubicundiſsimum, rubini colorem referẽs, in vaſq; receptorium guttatim defluet, odoris fragrãtiſsimi, dulciſſimique ſaporis. Hoc eſt ſummum arcanum

philoſophorum in antimonio, quod inter o-leorum arcana plurimi faciunt. Poſtremò tandem, oleum ſolis fiat ad hũc modum: Sumito puriſsimi ſolis quantum voles, hoc ſolui curabis in ſpiritu vini rectificato. Spiritus abſtrahatur aliquoties, totiesq́; ſoluatur iterum: poſtrema ſolutio ſeruetur cum ſpiritu vini, & circuletur per menſem. Poſtmodum deſtilletur aurum volatile, & vini ſpiritus per alembicum ter quatérve, vt in recipiens vas defluat, ac in ſummam ſuam eſſentiam adducatur. Ad mediam vnciam iſtius auri ſoluti, addatur vncia vna olei antimonij. Hoc oleum illud amplectitur in calore balnei, vt à ſe non facilè dimittat, etiamſi ſpiritus vini abſtrahatur. Hac via habebis ſummum naturæ myſterium & arcanum, cui par in rerum natura haudquaquam aſsignari poteſt. Bina hæc olea modo qui dictus eſt, vnita concludantur in phiala, & ſuſpendantur in tripode per mẽſem philoſophicum, igneq́; lentiſsimo foueantur. Quanquá, ſi temperetur ignis debita proportione, triginta & vno diebus negotium hoc abſoluitur, & in perfectionem adducitur, qua mercurius & imperfecta metalla quæuis auri perfectionẽ acquirunt.

EXPLICATIO.

Antea duobus tribúsve præcedentibus capitulis de arſe-

rsenico & vitriolo, tanquam sulphure & mercurio
ictum fuit, nunc verò de tertio quodam minerali, sub
itrioli genere in metallinam formā resplendente, au-
iamus, antimonio videlicet, quod natum esse de vi-
rioli stirpe ex sulphure & mercurio nobilißimis, atq;
urißimis, asseuerat author, ac apud veteres nomē Sa-
urni siue plumbi sortitum esse. Narraui præcedenti
apitulo matrimonium inter duo, tracta quidē ex vno
& eodem, at hoc loco tractatur aliud matrimonium,
nter duo tracta de duobus, idq; diuersis, auro nimi-
um & antimonio, quæ licet forma diuersa videantur,
vel actu, potentia tamen eadem & substantia ni sint,
n vnum conuenire matrimonium haudquaquā pos-
unt. Nam deficiente vinculo naturæ vnius & alterius
partium participe, nō est facilis regressus ad vnū. Qua-
propter si debeat antimonium vniri cum auro, necesse
fuerit inter ista concordantiam, quam sympathian vo
cant, haberi. Quis dubitat inter initium & finem, vin-
culum esse medium eorūdem in eis occultū? Ambo sunt
ex aquarum genere minerali et metallico, sic vt mine-
rale vicem gerat materiæ, menstrui, vel argenti viui:
metallicum verò sulphuris. Inter sulphur & argentum
viuum, si tamen spiritualia vel volatilia facta sint, est
maxima cōcordantia. Quod alibi meis libellis indicaui
ad hunc modū videlicet: Nulla (inquā) stabilis aut fir-
ma fit corporū cōiunctio, verùm vnio spirituū est indis-
solubilis, quoquo modo fiat. In textu habetur de spiritu
solis, vel auro volatili, tum de spiritu vel oleo antimo-
nij, quod optimè quadrare potest veterū sententiæ di-

centium, fixum volatile fiendum, & vice versa volatile fixum, vt magisterium adeptum perficiatur: tum illud: Fac pacem (inquiunt) inter inimicos, & totum habebis magisterium. Quæ maior inimicitia, quàm inter ea, quæ fugiunt vnum ab altero, propter naturam contrariam, qualia cœlum & terra sunt? hæc semper ad centrum, vti grauia quæque, tendit: illud autem à centro, pro natura leuium, refugit. Verùm si terra cœlum fiat, id est, in volatilem substantiam adducatur, fieri poterit, vt cœlum terra fiat, hoc est, fixetur. Etenim vnius cœli, volatilis nempe, natura, naturam alterius cœli, fixi nimirum, induit. Ad id fortè quispiam dicet: Quare volatile fixi magis naturã induit, quàm fixum volatilis naturam? In promptu causa est, ignis caloris officium, qui vaporem exiccando, quò magis, eò vehementiùs, congelando fixat, quod humorum beneficio volatile fuerat antea. Matrimonium igitur spagyricum fit inter volatile & fixum, eo vinculo videlicet interueniente, vt pax fiat inter inimicos. Fixum sulphur ac terra monarchiæ nostræ, est aurum: Volatile cœlum eiusdem est argentum viuum. Si aurum igitur, vt ex præcedentibus, reducatur in argentum viuum, facilè tandem, & nullo negotio, fixabitur argentum viuum in aurum. Si arguas, cur de argẽto viuo loquar hoc loco, cùm in textu nulla sit eius mentio, sed antimonij tantùm? Causam habe, quia vicem argenti viui refert antimonium, in quo magna quantitas argenti viui delitescit. Quamobrem etiã dicere iure possum, argentum viuum esse plumbum, vt in textu dicitur de

tur de antimonio, hoc videlicet esse plumbum, cui etiã, vt isti, inest maxima quantitas argenti viui: testatur ipsa grauedo. Quin & aurum hac eadem ratione plum bum dici potest, cùm illius substantia tota sit argẽtum viuum, tantillo vix sulphure fixo coagulatum, quod pondere similiter demonstratur? Qui phrases spagyricorum philosophorum non intelligit, non est quòd sese ingerat, vel immisceat ipsorum negotijs, nisi vel dispen dium, vel ignominiam quærat, hâc in reprehendendo id, cuius est ignarus: illud autem, in incognitis versando, vel operando. Quapropter suadendum est omnibus, vt priùs addiscant, quàm carpant, vel operentur in similibus. Quisq; namq; peritus est in arte quam didicit, & ignarus in ea, quam non didicerit antea.

CAP. XV.

De proiectione per mysterium, & arcanum antimonij facienda.

NVllum potest asignari iustum pondus, in hoc opere proiectionis, licet ipsa tinctura trahatur ab aliquo subiecto, proportione certa, ac debitis instrumentis. Etenim, ista medicina tingit aliquando triginta, quadraginta, nonnunquam sexaginta, octuaginta, centum, imperfecti metalli partes, vt eius negotij cardo, potisimùm circa medicinæ mun dationem, & operantis industriam vertatur,

item iuxta maiorem vnius, quàm alterius im perfecti corporis prę manibus assumpti munditiam & puritatem. Quandoquidem vna venus purior altera, quo fit vt determinatum pondus haberi nequeat in proiectione. Hoc solum notatu dignum, vt si contingat operatorem tincturæ nimium assumpsisse, additione poterit imperfecti metalli, hunc errorē corrigere: si verò subiecti nimium, quo tincturæ vires debiliores effectæ sint, vitium hoc cineritio facilè, vel cæmentationibus, aut per crudum antimonium ablutionib. tollitur. Nihil in hac parte, quod operantem remoretur, vel impediat: solùm id sibi proponat, quod à philosophis omissum est, & ab aliquibus studiosè velatum, scilicet in proiectionibus, reuiuificationem imperfectorum corporum esse necessariam, id est, animationem, vel, vt ita loquar, spirituationem, de qua nōnulli dixerunt, metalla sua non esse vulgaria, quia viuunt, animamq́ue habent.

Animatio fit ad hunc modum.

Sumito Veneris in bracteas tenues adductæ quantum voles, decem, viginti. quadragintáve libras, pultibus ex arsenico & tartaro calcinato subactis incrustentur, & suo vase calcinentur spatio viginti quatuor horarum. Tū demum in puluerem tusa venus abluatur, ac mūdetur optimè. Iteretur calcinatio cum ab-

lutione

[.]utione ternis quaternisve repetitionib⁹. Hac [..]ia mundatur & purgatur à crasso virore, & [i]mmundo suo sulphure. Cauendum vtique à [c]alcinationibus cõmuni sulphure factis: nam [q]uod bonum est in metallo, prorsum depra[u]at, malumq; peius efficit. Ad marcas decem [i]stius purgatæ veneris, addatur vna purę lunę. [V]erùm vt medicinæ per proiectionem opus [a]cceleretur, ac imperfectum corpus faciliùs [p]enetret, cunctasque partes naturæ lunæ con[t]rarias expellat, fermenti perfecti medio idi[p]sum fieri poterit. Etenim ab immundo sul[p]hure coinquinatur opus, vt ad superficiem [t]ransmutati nubes obducatur, vel loppis sul[p]huris permisceatur metallum, & vnà cum il[l]is abijciatur. Verùm enimuero, si proiectio [f]ieri debeat rubei lapidis ad rubeam transmu[t]ationem, super aurum primò cadat oportet, [p]ostmodum super lunam, vel super aliud me[t]allum repurgatũ, vt suprà narrauimus. Inde [p]erfectissimum aurum exurgit.

EXPLICATIO.

Postquam trium particularium arcanorum præ[p]arationem apertißimè docuit, vt elucidatione haud[q]uaquam indigeant, progreditur ad vsum proiectionis [i]n metallorum trãsmutationem. Primùm omniũ, quid

sibi velit proiectio videamus. Certum est eiusmodi tincturarum vires atq; virtutes, cùm naturales, tum supernaturales, in vnicum centrum ad eum esse modum constrictissimas, vt proiectæ super metallum fusum, vt infrà dicetur, aperiantur ignea violentia sic, vt centrum hoc in amplissimam latitudinem & profunditatem distendatur, non substantia quidem, sed virtute solùm. Inde colligi potest multiplicationem eiusmodi virtutum, fuisse factam à cœlesti potentia tantùm, & non arte quapiam: hæc siquidem nihil attulisse videtur, præter ministerium in præparatione materiæ duntaxat, reliquum est opus diuinum, quo materia dicta resuscitatur in tantam virium & virtutum gloriam, vt antea tetigi. Nam si virtutes in materia priùs non existerent supernaturales, ex naturalibus solummodo nulla fieri posset resurrectio, quæ causa est omnis trãsmutationis in proiectionibus factæ. Hoc alibi declaraui, elementa scilicet viuere ex firmamento, hoc autem ex inuisibili mundo, & istud ex fonte vitarũ omnium, Deo videlicet, in seipso, & ex seipso, & non ex alio, sed in æternum viuente, & viuificante solo, per se solum, & per omne medium quodcunq; vult. Et quia nullo potest excludi loco, virtus eius & omnipotentia nedum, sed ipsemet in omnibus regit & gubernat pro suo libero arbitrio, bonaq; voluntate, quæ sola nobis esse pro ratione debet. Non est igitur opus hominum, construere Monarchiam hanc nostram, at solius Dei, qui nos materiæ præparationem docet, in quam vult operari per se, & non per alium. De pondere proiectionis autem in

textu

textu potiſsimùm agitur, proportionis videlicet inter tranſmutans & tranſmutandum. Dicit author inibi, nullum pondus proportionatum aſsignari poſſe, duabus de cauſis: priore, quia medicina quandoq; negligentia, vel ignorantia potiùs artificis, non ſatis mundata, vel malè præparata fuit: poſteriore verò, ob corporis tranſmutandi nimiam impuritatem. His impedimentis cuique ſuum remedium ponit, in textu per ſe clarùm. Quare ad alia tranſibimus, ne replere voluiſſe papyrũ dicamur à calumniantibus.

CAP. XVI.

De vniuerſali materia lapidis philoſophorum.

POſt mortificationem vegetabilium, concurrentia duorum mineraliũ, vtpote, ſulphuris & ſalis, in mineralem naturam tranſmutantur, vt inde tandem perfecta mineralia reſultent. Etenim in terrę cuniculis mineralibus & latifundijs vegetabilia reperiũtur, quæ longo ſucceſſu temporis, & continuato calore ſulphuris naturàm vegetabilem exuerunt, indueruntque mineralem. Idq; potiſsimùm accidit, vbi huiuſcemodi vegetabilibus, propriũ adimitur nutrimẽtum vt coacta ſint poſtmodum à ſulphuribus & ſalibus terræ, ſuum alimentum ſumere tantiſper, dum in minerale perfectũ, quod antea vegetabile fuerat, abit,

Et ex minerali conditione hac, metallica quędam essentia perfecta nonnunquam oritur, idque progressu vnius gradus in alterum. Sed redeamus ad lapidem philosophorum, cuius (vt meminerunt aliqui) materia præ cunctis est inuentu difficillima, & abstrusior intellectu. Huius, vt aliarum quarumcunque, modus inuestigationis & norma certissima, quid contineant valeantque, radicis est earum & spermatis examinatio sedula, qua peruenitur ad cognitionem: ad hanc facit plurimùm consideratio principiorum valde necessaria, tum qua via, quóve medio natura primùm ex imperfectione ad perfectionis finem deuenerit. Cui considerationi conducit in primis habere compertissimum, creata quæuis à natura, tribus constare primis, Mercurio scilicet, sulphure, & sale naturalibus in vnum permistis, vt in nonnullis volatilia sint, in alijs verò fixa. Quoties corporale sal cum spirituali mercurio & animato sulphure permiscetur in corpus vnum, tum demum incipit operari natura locis, quæ loco vasorum suorum habet, subterraneis, per separantem ignem, quo sulphur crassum & impurum separetur à puro, & à sale terra segregetur, necnon à mercurio nubes, seruatis purioribus partibus istis, quas natura decoquit iterũ simul in constans corpus geogamicum. Quæ quidem operatio habetur à

Magis,

Magis, vt mixtio coniunctioq; per vnionem trium, vtputa corporis, animæ, & spiritus. Adimpleta hac vnione, resultat inde purus mercurius, qui si per meatus subterraneos defluat, eiusque venas, & obuiam factus chaoico sulphuri, hoc ipso coagulatur mercurius, pro conditione sulphuris. Est tamen adhuc volatilis, vt vix centum annis decoquatur in metallum. Inde sumpsit originem vulgatum hoc nempe, mercurius & sulphur, materiam esse metallorum, vt etiam ex relatu fossorum mineralium constat. Non tamen vulgaris mercurius, neque sulphur commune, metallorum sunt materia, sed mercurius & sulphur philosophorum incorporata sunt ac innata metallis perfectis, eorumque formis, vt nunquam ab igne fugiant, nec vi corruptionis elementorum deprauentur. Vtique per eiusmodi naturalis mixtionis dissolutionem mercurius noster domitus est, vt loquũtur omnes philosophi. Sub hac verborum forma noster mercurius ex perfectis corporibus, viribusq; terrenorum planetarum venit eliciendus. Quod Hermes asserit his verbis: Sol (inquit) & Luna sunt radices huius artis. Filius Hamuel ait, philosophorum lapidem aquam esse coagulatam, scilicet in sole & luna. Vnde sole clariùs patet, materiam lapidis nihil aliud esse præter solem & lunam. Idipsum etiam eo

confirmatur, quòd simile quodque sibi simile parit, generatque. Et non aliter, quàm duos esse scimus lapides, album & rubeū, duæ sunt etiam lapidis materiæ, sol & luna simul copulata proprio matrimonio, cùm naturali, tum artificiato. Et sicuti videmus virum & mulierem absque semine vtriusq; minimè generare posse, pariformiter vir noster sol, fœminaq; sua luna sine semine spermateque vtrunque suo concipere non possunt, neque ad generationē aliquid moliri. Collegerunt inde philosophi, tertium esse necessarium, videlicet animatum semen amborū, hominis & fœminæ, sine quo totum opus eorum irritum esse iudicarunt, & inane. Huiusmodi sperma mercurius est, qui per naturalem coniunctionem amborum corporum, solis & lunæ, recipit eorum in se naturam in vnione: tum demum nec priùs aptum est opus ad congressum, ingressum, & generationem, per vim & virtutem virilem ac fœmineam. Hinc moti philosophi, dixerunt mercurium istum componi corpore, spiritu, & anima, eumq; naturam elementorū omnium, & proprietatem assumpsisse. Quapropter, ingenio & intellectu validissimis asseruerunt lapidem suum esse animalem, quem etiam vocarunt Adamum suum, qui suam inuisibilem Euam occultam in suo corpore gestaret, ab eo momento, quo virtute summi Dei creatura-

rum

rum omnium opificis vniti ſunt. Ea de cauſa meritò dici poteſt, mercuriũ philoſophorum nihil aliud eſſe, quàm compoſitus eorum abstruſiſsimus mercurius, & non vulgaris ille. Sapienter igitur dixere ſapientibus, eſt in mercurio quicquid quærunt ſapientes. Almadir philoſophus ait, Nos extrahimus noſtrum mercurium ex vno corpore perfecto, duabusque perfectis cõditionibus naturalibus, ſimul incorporatis: qui quidem perfectionem ſuã extrinſecus protrudit, qua reſiſtere valeat igni, & vt intrinſeca eius imperfectio ab extrinſecis perfectionibus defendatur. Per hunc philoſophi locum acutiſsimi, materia lapidis intelligitur Adamica, limbus microcoſmi, materiaque homogenea vnica philoſophorũ omniũ, quorum etiam dicta, de quibus antea mentionem fecimus, merè ſunt aurea, plurimæq; ſemper exiſtimationis habenda, quòd nihil in ſe habeât ſuperflui, nihil inualidi. Summatim ergo, lapidis philoſophorum materia nihil aliud eſt, quàm igneus perfectusq; mercurius per naturam & artem extractus, id eſt, artificialiter præparatus, & verus hermaphroditus Adam, atque Microcoſmus. Hoc ipſum philoſophorum ſapientiſsimus ille Mercurius aſſerens, lapidem vocauit orphanum. Noſter itaque mercurius, is ipſus eſt, qui ſolis perfectiones, vires, atque virtutes in ſe continet, quiq;

per vicos ac domos planetarum omniũ tranſcurrit, & in ſua regeneratione acquiſiuit vim ſuperiorum & inferiorum, quorum etiam matrimonio comparandus, vt patet à candore & rubore ſimul in eo conglomeratis.

EXPLICATIO.

Iam ad Monarchiam ex Ternario in Vnarium adductam deuenire opportunum eſt, poſtquam de matrimonio duorum in vnum conuenientium, beneficio ſui magnetici vinculi venereiq́; ſatis amplè tractatum fuit in præcedentibus. Sed prius docet naturalē quandam vegetabilium tranſmutationem, in mineralem naturam, eamq́; fieri dicit per mortificationem ipſorum, & concurrentiam duorum mineralium, intelligito ex ipſis exiſtentium. Senſus hic eſt: Si vegetabilia mortificentur aliquando naturaliter, in ſua tria ſeparantur, mercurium videlicet vegetabilem, ſal, & ſulphur. Et cùm duo poſteriora concurrunt, id eſt, conueniunt ſimul, aut concordant, quia ſua natura mineralia ſunt, hoc eſt, mineralis naturæ, mercurium ſuum, qui priùs erat naturæ vegetabilis, tranſmutant, ipſum conuincendo, in mineralem, vt ipſa, naturam. Idq́; ad hunc modum fieri maximè dicit, cùm vegetabilibus mercuriale nutrimentum adimitur, aut vegetabile ſic, vt cogantur aliunde ſuum alimentum accipere,

pere, videlicet à salibus & sulphuribus terræ: hinc fit vt vegetabilium tres dictæ partes facilè minerales fiant, cùm solùm vna, videlicet mercurialis, id est, vegetabilis, conuincenda fuit, reliquis duabus, quæ minerales sunt, à minerali nutrimento similiter corroboratis. Vnde concludi potest, per nutrimentum quandoque mutari naturam, id est, intrinsecam formam, extrinseca retenta, vti sub terra sunt olim inuentæ lapideæ, cùm arbores, tum herbæ, quæ priùs vegetabiles de terra natæ fuerant, non immutata forma siue figura externa, & vegetabili. Simile videmus in hominibus, qui ferocium animalium nutriuntur carnibus, ferociam contrahere sui nutrimenti, hoc est, formam atque naturam intrinsecam, sed moralem potius, immutare ex humanitate in ferociam brutalem, imaginem verò externam hominis non mutare, sed mores & conditiones. Nec solùm ex vno generaliori genere in aliud, ista contingere transmutatio solet, verùm etiam specialiori, hoc est, mineralium in mineralia: repertæ sunt enim lapideæ monetæ suis imaginibus adhuc insignitæ, quas acceperant, cùm cuderentur, existentes in metallica forma. Materiam igitur vniuersalem nostræ Monarchiæ, siue lapidis, ex istis omnibus prosecutus, docere conatur Paracelsus à tribus primis principijs suis, mercurio videlicet, sulphure, & sale, tanquam ex spiritu, anima, & corpore conflatam esse. Quoties (inquit) corporale sal cum spirituali mercurio, & animato sulphure permiscetur in corpus vnum, tum demum incipit

operari natura. Hoc loco naturalem præparationem docet, à qua nostram artificialem addiscere nos tacitè commonefacit, ac si diceret. Considerate quónam ordine progrediatur natura in præparatione suæ materiæ, non aliter & vos facite. Tum demum (inquit) incipit operari natura. Nunquid (inquies) operabatur priùs, separando tria prima quæ dicta sunt, quodq; repurgando, permiscendoq; simul? Maximè, sed non ea, quæ hic operatur ex postrema sententia. Prior namq; fuit Archeus vniuersalis ille, naturæ dispositor siue dispensator sub terra degens materiam disponens ac præparans: posterior verò particularis est Archeus materiæ insitus, ad formam supernaturalem suscipiendam, præparatæ iam ac dispositæ. Rursum, prior nobis præfigurat artificem nostrum externum, & operantem in prima præparatione tantùm, vt auditum est. Nihil enim aliud hic efficere potest in opere nostræ Monarchiæ, præterquam administrare naturæ. Posterior tamen per se solùm operatur in materia latēs: arcanum summum, hoc est, præ cæteris in honore maximo semper habendum. Operatur itaque natura in suis tribus, per ignem suum in centro, tanquam in furno latentē, ad eum nempe modum, vt crassum & impurum sulphur hoc suum à puro separet, ac à sale suo feculentam terram, tandem à suo mercurio nubem & vmbram, puris in corpus vnum geogamicum vnitis, id est, in formam vnam terrenæ substantiæ postmodum naturali matrimonio coniungibilem. Ex ea mixtione quidem naturali primùm, decoquit sibi mercurium fluidum, &

& huc atq; illuc transcurrentem, qui fortè factus obuiam chaotico sulphuri, id est, admodum subtili & aëreo copulatur, vel coagulatur (vt aiunt) in eam formam, ad quam sulphur hoc ab Archeo subterraneo dispositum fuerit, siue ad solem, lunam, iouem, venerem, saturnum, vel martem. Nōdum hac decoctione fixum esse putato mercurium, etsi congelatum, quin adhuc multo sit opus tempore naturæ, priusquam ad solidam & perfectam formā adducat metallicā. Hæc sunt quæ mercurius, vel argentū viuū et sulphur appellātur à veris philosophis, & non illa vulgaria, quæ vili precio licet haberi poßint, vt de sua materia loquuntur, nihilominus ex istis si verum mercurium, verumq; sulphur elicere deberet, aut posset artifex, vix illi regiæ sufficerēt opes, ob ignoratam proportionem etiam naturalem, imò vix totius mundi thesaurus. Non ergo vili precio habetur ex vulgaribus, sed ex philosophicis, materia vili admodum, respectu huius, adipiscitur, imò nullo, cùm in manibus omnium sit metallum, etiam perfectum, quamuis pro metallo non cognoscatur, quia carneis oculis occultum est. Sunt igitur mercurius & sulphur per naturam, iuxta veram ac iustam proportionem, ignotam quibusuis creaturis præterquā sibi, metallis perfectis incorporata, & eorum innata formis, vt nunquam ab igne fugiant, neq; per elementorum corruptionem detrimentum patiantur. Cùm igitur metallum perfectum, vt suprà, habeatur ab omnibus nihilo, materia sulphuris & argenti viui philosophorū haberi potest à quouis eam cognoscente, idq; per eiusmodi

naturalis mistionis dissolutionem, per quam philosophi dicunt mercurium domitum esse, hoc est, nobis subditũ quærentibus. Vnde manifestò patet mercurium hunc è corporibus perfectis, & viribus atq; virtutibus terrenorum planetarum, id est, metallorum subterraneorum eliciendum esse: Hermete hocipsum attestãte. Sol (inquit) & Luna sunt radices huius artis, id est, parentes. Item filius Hamuel ait, Philosophorum lapidẽ esse coagulatam aquam, videlicet in sole & luna. Ergo sol & luna sunt materia philosophorum. Hermes verò dicit esse parentes artis, id est, in arte. Si hæc ars indigeat parentibus, ergo & generatione proleq;. Non potest parens nisi sibi simile gignere. Prolem quærimus solarem vel lunarem, erunt igitur parentes necessariò sol & luna, qui vel solem, id est, rubeum lapidem generent, aut lunam, hoc est, album. Sunt ergo sol & luna matrimonio coniungenda nedum, sed etiam toro copulanda, nam sine tertio medióve de natura vtriusque participante, nõ fit transitus de extremo ad extremum, neq; generatio. Hoc generationis medium, est semẽ animatum vtiusq; parentis, & vera philosophorum materia. Duplex eiuscemodi sperma, philosophis est mercurius, qui per naturalem coniunctionem amborum corporũ, solis et lunæ videlicet, parentum naturam in vnione siue copula recipit. Ad hunc modum, & non alium perficitur opus Monarchiæ spagyricæ. Mercurius itaq; Monarchicus ille noster (aiunt philosophi) cõponitur spiritu, corpore, & anima: quapropter animalẽ vocauerũt, Adamum suum, inuisibilem Euam suã occultè gestantem

tem in suo corpore, vt suã Protoplastes ab eo momento quo crearetur ab altissimo creatore Deo, fuerunt vniti simul ambo. Nõ est igitur vulgaris mercurius ille qui philosophorum dicitur, sed hic est qui ad eum modum, quem supra diximus componitur, & est abstrusissimus, vt loquuntur sapientes philosophi: Est (inquiunt) in mercurio quicquid sapientes quærunt. Extrahimus (inquit etiã Almadir) mercurium nostrũ, putà philosophicũ, ex vno corpore perfecto, hoc est, absoluto mercurio, duabusq́; perfectis conditionibus naturalibus, id est, radicibus (vt ex Hermetis sententia) simul incorporatis, hoc est, copulatis in vtriusq́; spermate, viri videlicet ac mulieris. hoc est, solis et lunæ generantiũ mercurium vnum hermaphroditum (vt aiunt) virum aut fœminam, i. rubeum vel album lapidem, siue tincturam. Iste Mercurius ab initio suæ quidẽ operationis, extensione quadam à centro suo, perfectionem quã habet, protrudendo dilatat, qua valeat ignis iniurijs meliùs resistere, ac istis suis perfectionibus, in circuitu superficiei muniatur ac defendatur imperfectio eius intrinseca, circa centrum tantisper delitescens, donec etiã perficiatur, eo modo, qui sequenti capitulo vice versa declarabitur. Hoc loco palàm fit intelligentib. ac ingeniosis viris, quæ sit materia lapidis Adamica, microcosmi limbus, i. Adamus Euam suã circumplectens atq́; defendens ab imperfectione sua. Concludens igitur author lapidis materiam, hanc dicit esse mercuriũ igneũ & perfectum, per naturam & artem extractum, i. artem adiuuante natura à naturalib. deductũ, ac artifi-

cialiter præparatum Adamum hermaphroditum, & microcoſmum philoſophorum ſapientum. Habet itaq; Mercurius philoſophorum ſolis perfectiones in ſeipſo concluſas, vires & virtutes, & ea ratione reliquorum etiam planetarum domos tranſcurrit, id eſt, conditiones induit, priuſquam regeneretur, & acquirat vim ſuperiorũ & inferiorum, ſupernaturali matrimonio videlicet, à rubedine & albedine ſimul in ipſo cõplexis, manifeſtò poſtmodum in operis perfectione productis.

Cap. XVII.

De præparatione materiæ lapidis philoſophici.

ID potiſsimũ requirit natura, videlicet, philoſophicum virum ſuum, in mercurialem ſubſtantiam adduci, vt in philoſophicum lapidem enaſcatur. Porrò notandum, communes illas præparationes Geberi, Alberti Magni, Thomæ Aquinatis, Rupeciſſæ, Polydori, ſimiliumque, nihil aliud eſſe, quàm particulares quaſdam ſolutiones, ſublimationes, calcinationes, & ad noſtrum vniuerſale minimè pertinentes, quod ſolummodò ſecretiſsimo philoſophorum indiget igne. Ignis igitur & azoth tibi ſufficiant. Philoſophos aliquarum præparationum facere mentionem, vti putrefactionis, deſtillationis, ſublimationis, calcinationis, coagulationis, dealbationis, rubificatio-

cationis, cerationis, fixationis, &c. idipſum intelligas oportet, in eorum vniuerſali naturã ipſam quaſuis operationes adimplere, in dicta materia, & non operarium in vaſe philoſophico duntaxat, & igne ſimili non communi. Album & rubeũ ex vna radice proſiliũt abſq; medio quouis. Soluitur per ſeipſum, & copulatur per ſe, albefit, & rubefit, croceũ & nigrũ efficitur per ſeipſum, ſeſe deſpõſat, & in ſeipſo concipit. Decoquendus igitur, aſſandus, fundendus, aſcendit & deſcendit. Quę quidem omnes operationes vna ſunt operatio igne ſolo facta. Nonnulli tamẽ philoſophi per ſummè graduatam eſſentiam vini corpus ſolis diſſoluerunt, volatileque reddiderunt, vt per alembicum aſcenderet, putantes, veram eſſe materiam volatilem philoſophorum, cùm non ſit. Etſi non contemnendum ſit arcanum, perfectum hoc corpus metallicum in volatilem & ſpiritualem ſubſtantiam adducere, tamen errant in elementorum ſeparatione: qui proceſſus monachorum, ſcilicet Lullij, Richardi Angli, Rupeciſſæ, & aliorum, eſt erroneus. Quo quidem opinabantur, aurum hac via in ſubtilem, ſpiritualem, & elementalem potentiam ſeparare quamlibet ſeparatim, poſtmodũ per circulationem & rectificationem rurſus in vnum copulare, ſed fruſtra. Siquidem, etſi vnũ elementum ab alio quodammodo ſeparetur,

nihilominus quodlibet elementum ad hunc
modum separatum, in aliud elementum ite-
rum separari potest, quæ partes postmodum
pellicanica circulatione vel destillatione rur-
sum in vnum redire minimè possunt, at sem-
per manent volatilis materia quædam, & au-
rum potabile, vt ipsi vocãt. Causa cur ad suam
intentionem peruenire non potuerunt, hæc
est, quia natura hac ratione minimè distrahi
nec separari vult humanis disiunctionibus,
vti per terrena vitra & instrumenta. Sola ipsa-
met nouit suas operationes & elementorum
pondera, quorum separationes, rectificatio-
nes, & copulationes exequitur absque admi-
niculo cuiusuis operantis, aut manualis artifi-
cij, dummodo contineatur in igne secreto ma-
teria, & in occulto suo vase. Per hominem igi-
tur impossibilis est elementorũ separatio, quæ
licet appareat, non est vera tamen, quicquid
de Raymundo Lullio dicatur, & Anglico suo
nobili aureo, quod fabricasse falsò putatur.
Habet enim ipsa natura in seipsa proprium se-
paratorem, qui, quod separat, iterum coniun-
git absque hominis auxilio, nouitq; omnium
optimè vniuscuiusq; proportionem elemen-
ti, & non homo, quicquid scribentes erronei,
suis friuolis falsisque receptis de volatili hoc
auro suo fabulentur. Hæc est opinio philoso-
phorum, vt quum suam materiam in ignẽ se-
cretio-

cretiorem posuerint, calore suo philosophico moderato, circumquaq; fouetur, vt incipiens per corruptionem transire nigrescat: hãc operationem putrefactionem esse dicunt, & nigredinem caput corui nominant: materię huius ascensum atque descensum, destillationẽ, ascensionem & descensionem proferunt: exiccationem dicunt esse coagulationem: & dealbationem calcinationem. Et quia calore fluida fit ac mollis, cerationis mentionem faciũt. Quum ascendere desinit, & liquida manet in fundo, fixationem adesse dicunt. Ad hunc modum igitur operationum philosophicarũ appellationes intelligendæ sunt, & non aliter.

EXPLICATIO.

Præcedenti capitulo, solam materiã lapidis declarauit author, nũc verò præparationem ad opus per ipsam aggreditur. Adamicum itaq; mercurium hũc, in mercurialem substãtiam, id est, mercurio similem, vel speciem eius referentem adduci vult, priusquam in lapidem regeneretur: idq; non externis operationibus siue manualibus, quales sunt Geberi, Alberti Magni, & reliquorum id genus hominum in textu, quæ particulares sunt, ad vniuersale nostrum nihil prorsus conducentes. Opus nostrum ignis hoc suo genere nõ eget, nec nisi philosophorũ occultissimo, de quo dictũ, Ignis & Azoth tibi sufficiant, hoc est, materia iã dicta cũ igne secreto,

sine alterius additione possunt opus adimplere. Quanquam philosophi de operationibus crebram in suis scriptis mentionem faciunt, vtputà putrefactionis, destillationis, & reliquarum in textu positarum, nihilominus vnica solùm vniuersali quadam operatione continua, et non interrupta, reliquas omnes quotquot sunt comprehendente, fieri, nos volunt intelligere: per naturam solam, intellige quidem existentem in materia, & non per operarium vel artificem: vnico vase, & vno duntaxat igne philosophico, non communi, cõtinuato, non etiam intermisso, &c. Album & rubeum (inquit author) ex vna radice proueniunt absq; medio quouis, hoc est. Lapis albus & rubeus ex vno & eodem Adamico dicto hermaphrodito mercurio generantur, absque vllo materiali medio quouis alio, materiam subintrante putà. Nam absque ignis philosophici medio minimè fieri potest: verùm iste nõ permiscetur materiæ, at introducta in eam debita forma, recedit non secus atque vir à muliere post conceptionem. Deinceps omnia per seipsum perficit, quæ fieri dicuntur à philosophis opera colorationum, desponsationis, conceptionis, videlicet in seipso. Coquendum & assandum inter, ascendit atq; descendit per vnicam operationem, putà circulatoriam, donec cesset motus, id est, fixetur: à quo quidẽ indicio, cognoscitur in materiã introductam esse formam. Nonnulli tamen (inquit author) philosophi, corpus solis dissoluerunt per essentiam vini summè graduatam, id est, per vini spiritum, vt per alembicum transiens volatile redderetur, credentes hanc esse materiam

teriam veram philosophorum volatilem, de qua dictũ fuisse putabant. Fac fixum volatile, cùm tamen non sit. Quamuis arcanum hoc sit arduum, & non aspernandum solidissimum eiuscemodi corpus, & cõpactissimum à natura, per artem reddendi spirituale, nihilominus error est in elementorum separatione, vt processus habet monachorum in textu nominatorum, quo separare se posse elementa seorsim, ac per se quodlibet opinabantur, & postea circulationibus atq; rectificationibus rursum in vnum copulare, sed frustra hoc suũ opus experimentati fuere. Quorum fatuitas sibi non apparuit ex studijs ineptiarum suarum, naturam videlicet nihil resarcire, nisi quod ipsamet separauit, ea de causa, quia per eiusmodi hominum disiunctionem, & copulationem, impossibile est obseruare iustam & requisitam partium proportionẽ, quæ in hac arte maximè necessaria est. Naturæ soli hæc omnia committenda sunt, vtpote separationes & coniunctiones elementorum, & reliquæ operationes, nulli præterquam sibi possibiles. Nam etsi ars elementa separet, vt creditur, nihilominus quodlibet elementum in quolibet adhuc manet elemento non separatum, hoc est, semper de cæteris aliquid in se retinet, vt quodq; separatum ad hũc modum, rursum in quatuor separari queat in infinitũ: quæ partes postmodum nulla circulatione conueniunt in vnum, at semper volatilis materia manet, quam vocant aurum potabile. Nemo vnquam hoc loco poterit occultissimas eiuscemodi operationes, & elementorũ pondera vel proportionem, ex æquo cognoscere. Natu-

ræ, prius inest separator igitur, qui, quod separat, iterum coniungere solus potest. Valeant illi, qui de suo fabulantur auro volatili. Sed iam ad rem veniamus (inquit) ex sententia philosophorum hac de re probè scribentium, non priùs tamen, quàm resumamus nonnulla quæ dixi in præcedentibus, commentando videlicet. Præcedenti capitulo dixi de virtutum dilatatione à centro ad superficiem, econtra nunc à superficie ad centrum constrictionem earundem audiamus, quò postmodum dilatata virtus (in proiectione putà) quæ vehementer est intensa, potentissimè operetur, vel minimæ quantitatis pondere. Hinc intelligere poterit ingeniosus, naturam non satis admirandam centri, de quo latissimè tractaui libello meo, De Physica naturæ luce, quò relegandum lectorem video. Interea tamen progrediamur ad intensionem extensarum virtutum in centrum. Posita in ignem secretiorem extensa (vt auditum est præcedenti capitulo) materia, suo vase pariter secretissimo contenta, philosophico & moderato calore circumquaque fouenda est, ac tantisper donec per corruptionẽ putrescat, & conuertatur in nigredinem, quam caput corui nominant. Prima hæc operatio vocatur à philosophis Putrefactio. Interea dũ ista fit, ascendunt vapores atque descendunt assiduè: hanc autem operationem vocauerunt ipsi destillationem, circularẽ putà. Tandem exiccari materia sensim incipit, & isti dederunt operationi suum nomen, coagulationem videlicet. Postquam ipsa materia dealbatur, calcinationem fieri dicunt. Calore postmodum fluidam ac mol-

lem effici volũt ceratione videlicet. Postremò verò cùm non ascendunt ampliùs vlli vapores, & fluida manet in fundo, fixationem, vltimamq́; fieri dicunt operationem. Hic est verus intellectus & sensus operationum spagyricæ Monarchiæ, per intensionem virtutum cœlestium & supernaturalium ad centrum.

CAP. XVIII.

De instrumentis & vase philosophico.

PVtaticij philosophi perperam intellexerunt occultum & secretum vas philosophicum, & peiùs id quod Aristoteles alchimista (non ille philosophus academicus Grecus) loquitur, inquiens, materiam in triplici vase decoquendam: item pessimè, quod ab alio dicitur, scilicet materiam in prima sui separatione, primoque gradu vas metallicum requirere, in secundo gradu coagulationis, atq; dealbationis suæ terræ, vas vitreum, & in tertio gradu ad fixationem vas terreum. Nihilominus per hoc intelligunt philosophi, solùm vnũ vas in omnibus operationibus, vsq; ad perfectionem rubei lapidis. Cùm igitur materia nostra sit radix nostra ad album & rubeũ, necessariò vas nostrum ad hunc modum esse debet, vt in eo materia regi valeat à cœlestib. corporibus.

Influentiæ namque cœlestes inuisibiles, & astrorũ impresſiones apprimè neceſſariæ ſunt ad opus: aliter impoſsibile fuerit, Oriẽtalem, Perſicum, Chaldaicum, & Ægyptiacum lapidem inſuperabilem adimpleri: per quem Anaxagoras totius firmamẽti vires cognouit, ac præſagiuit magnum lapidem è cœlo deſcenſurum in terras, quod etiam poſt mortem ei9 accidit. Cabaliſtis vtique vas noſtrum potiſsimùm innoteſcit, quod iuxta verè geometricã proportionem atque menſuram, & ex certa circuli quadratura fabricari debet, vt ſpiritus & anima noſtræ materię ſeparata à ſuo corpore, hoc pro cœli altitudine ſecum eleuare valeant. Si vas præter æquum, ſtrictius, amplius, altius, demiſsiúsve fuerit, quàm dominantes & operantes ſpiritus animaque deſiderant, calor ignis philoſophici noſtri ſecreti (qui quidẽ acutiſsimus eſt) materiam violentiùs excitatam, ad operationem vrgebit nimiam, vt vas in mille partes diſsiliat non ſine periculo corporis & vitę operantis. Contrà ſi capacius, quã vt calor iuxta proportionem operari valeat in materiam, irritum etiam erit opus & fruſtraneum. Quapropter, ſumma diligẽtia vas noſtrum philoſophicum eſt fabricandum. Quæ verò materia ſit huiuſmodi noſtri vaſis, intelligunt illi ſoli, qui in prima ſolutione noſtræ materiæ fixæ & perfectæ, hanc in ſuam primã

Spiritum

eſſen-

eſſentiam adduxerunt, de quo ſatis. Operator etiam accuratiſsimè notet, quidnam in prima ſolutione materia dimittat, à ſeq; reijciat. Vaſis formam deſcribendi ratio difficilis: talis eſſe debet, vt natura ipſa requirit, ex vno & alio petenda & inueſtiganda, vt ex altitudine cœli philoſophici à terra philoſophica eleuati, queat in fructum ſui terreni corporis operari. Hãc formam vtique habere debet, vt ſeparatio & purificatio elementorum, quãdo ignis vnum ab alio pellit, fieri poſsit, vtq; quodlibet ſuum locum in quo hæret occupare valeat, & ſol ac alij planetæ circumcirca terram elemẽtalem ſuas operationes exerceant, & curſus eorum in circuitu non impediatur, aut velociori motu agitetur: iuxta hæc omnia quæ dicta ſunt, iuſtam proportionem habeat oportet rotunditatis & altitudinis. Inſtrumenta verò ad primam mundificationem corporum mineralium, vaſa fuſoria, folles, tenaculæ, capellæ, cupellæque, teſtæ, cæmentatoria vaſa, cineritia, cucurbitæ bociæ ad aquas fortes regiasq;, tum quæque ad proiectionem in opere poſtremo neceſſaria ſunt.

EXPLICATIO.

Ab occultiſsimo philoſophorum vaſe, habuit ortum apud modernos operatores, error non minimus inter

cæteros, quia non intellexerunt veteres hoc describentes ænigmaticè, neque dictum Aristotelis cuiusdam alchymistæ: materiam videlicet, in triplici vase decoquendam esse. Quod alij sic proferunt: Materia (inquiunt) in primo gradu, qui separationis est, vas metallicum habet, habereq; debet: in secundo verò coagulationis ac dealbationis terræ suæ, vas vitreum, & in tertio gradu, fixationis nempe, vas terreum. Quid prodest inuidere hominibus bonæ voluntatis arcana, quæ tamdiu delituerunt propter iniquos? Nouerit Deus illa tueri ab impijs ne intelligant, aut intellectis etiam potiantur. Hîc maximè reuelatur materia lapidis, quam dicunt esse debere in primo gradu suæ operationis in forma metallica conspicuam: in secundo verò, qui est albi lapidis, in vitrea siue crystallina & alba forma, diaphanam: & in tertio ac vltimo rubei lapidis gradu perfectionis, terream formam coagulatam, & fixam, instar terræ habere vas philosophicum, id est, materiam lapidis virtutes continentem, in qua decoquuntur cœlestes vires, &c. oporteréque mutari de gradu in gradum, à sua forma quam habebat priùs. Attamen vas manet vnicum, id est, vnica materia vasis in omnibus operationibus, vsque ad perfectionem rubei lapidis. Item dicunt philosophi materiam suam esse radicem artis & operis sui, ad vtrunque lapidem perficiendum, & hac de causa vas ipsorum ad eum esse debere modum præparatum, vt in ipso vase materia regi & gubernari possit à cœlestibus corporibus, id est, astralibus virtutibus in materia existentibus,

&

& in suo vase materiali etiam, eiusmodi materia virtutum exaltari queat. Hoc interpretatur author per sequentia dicens, influentias cœlestes inuisibiles, id est, in materia vaseq́ue delitescentes impreßiones astrorum esse ad istud opus necessarias, vt sine quibus minimè perfici queat Orientalis, Persicus, Chaldaicus, & AEgyptiacus lapis, id est, in istis regionibus primùm fabricatus à pijs bonisq́ue viris, quos Deus ad hoc opus inueniendum olim elegit: per quem (inquit author) Anaxagoras cognouit vires totius firmamenti, hoc est, in isto lapidis opere conspiciuntur omnia quæcunque fiunt in firmamento, per similitudinem eorum, in dicto vase philosophorum apparentem. Præsagiuit etiam inde magnum lapidem è cœlo descensurum in terras, quod etiam post mortem eius accidit. Hinc patet quàm benignus Deus sit, vt etiam Ethnicis hominibus arcana sua, velata licet, attamen distribuat. Anaxagoras enim dicitur hoc loco per admirandas apparitiones ascensionum à terra philosophica, id est, à materia in cœlum, hoc est, in sublimia vasis philosophici, ac deinceps è cœlo hoc descensionum in dictam rursum terram suam, siue materiam, idq́ue sub finem operis, intellexisse mirandum arcanum descensionis è cœlo magni cuiusdam hominis in terram, sibi tamen incogniti, Dei filij videlicet: quod etiam post mortem eius, Anaxagoræ putà, accidit, id est, mortuus est priusquam videret aut intelligeret hoc mysterium. Patet itaq́ue Deum infidelibus etiam arcana multa detexisse, sub vmbrarum

occulta velamine duntaxat, quæ poſtmodum ipſi non intelligentes ad inanes fabulas à veritate deflectentes, contorſerunt. Exiſtimandum ſanè id à Domino Deo factum fuiſſe, vt eſſent eò magis inexcuſabiles, & nos confidentiores, dum conſiderabimus patrem noſtrum erga nos eius filios longè liberaliorem futurum, ſi cum diligentia quæſierimus, vt ipſi fecerũt infideles, qui ſobriè viuentes, omne ſtudium ad arcana detegenda direxerunt. Nec voluit altiſsimus benignusq; Deus labores iſtorum hominum, etſi paganorum, inanes: reuelauit enim ipſis arcanum, ſed finem eius non, quem ſuis electis nobisq; reſeruauit, vnà ſimul cum arcano detegendum, vt in iſto lapide incarnationem, mortem & reſurrectionem eſſe figuratas, ex apparentibus in hoc opere mirabilibus, ac euidentiſsimis propemodum ſignis, declarare voluit. Ad vas iã rediens author de alio videtur loqui, dum in hæc verba prorumpit: Cabaliſtis (ait) vas noſtrum præſertim innotuit, hoc videlicet à quadratura circuli fabricandum eſſe. Mira locutio ſanè his, qui non intelligunt ſententias ſpagyricorum: ac ſi diceret, Vt circuli quadratura nũquam præcisè fuit inuenta, ſic & præciſa quantitas noſtri vaſis omnino iuſta & exacta reperiri non poteſt. Sed vt Archimedes omnium proximè acceſsit, proportione tripla ſeſquiſeptima diametri ad circunferentiam, nec tamen eſt æqualitas in proportionatis hac via, quin aliquid vel tantillum deſit, quod viginti duorum ſubtendentes arcuũ lineæ demonſtrant, à ſuis ſpacijs: non aliter in fabricando lapide, cùm iſta non poſsit aſsignari proportio vaſis

ad

ad materiam, quantò proximiùs accedere poterit artifex in adornanda proportione, tantò meliùs operabitur, & minori periculo: vt spiritus & anima nostræ materiæ separata à suo corpore, hoc, pro cœli (inquit) altitudine secum eleuare valeat. Hæc est loci declaratio de fixo volatili fiẽdo, qua docetur corpus beneficio spiritus & animæ fieri volatile, hoc est, in sublime cœlum vasis videlicet, attolli. Nam si vas strictius æquo fuerit, quàm dominantes spiritus desiderant, ignis philosophici calor (qui quidem acutißimus existit) materiam violentiùs excitatam, ad operationem vehemẽtiorem vrgebit, vt vas in mille frusta disrumpatur. Ad terræ motum naturalem id potest referri. Contingit enim aliquando, vt vapores subterranei per calorem intensißimum, & ignem existentem in centro, per inflexos vndique radios, ita multiplicentur, vt cauernæ capacitas aliquo loco globuli sustinere nequeat, ibidem ad superficiem impetu lati, si debiliores existant, quàm vt valeant erumpere, concutitur superficies terræ, febrili quodammodo paroxysmo: si verò vehementiores fuerint, omnino diruunt ædificia, montes quoque dum erumpunt: cuius exemplum præbuit in Italia nuper anno 1570. celeberrima ciuitas Lombardiæ Ferraria, & aliquot annos antea in Toscanæ limitibus, oppidum quoddam Scarparia nuncupatum. Non secus multiplicatis vaporibus, vas philosophicum nimium igne secreto suo, supraq; modum excitato, cogitur in frusta dissilire, maximo periculo corporis & vitæ astantis operarij. Si verò vas eiusmodi sit amplius, capaciusq;, quàm

vt calor operari ſatis in materiam valeat, fruſtraneum eſt opus. Iam rurſum apparet generatio quædam imperfecta ſubterraneorum & cachymiarum, quas vocant, ob defectum ſubterranei caloris, inualidorum mineralium, &c. Quapropter (inquit author) vas noſtrum philoſophicum eſt ſumma cum diligentia fabricandum. Iam videtur de vitreo vaſe loqui, vt antea de ſecreto partim, & vitreo ſimul. Secretũ vas admodum eſſe dicitur, & paucis notum ab eius ſtructura, & materia. Dicit enim author. Quæ materia (inquit) ſit eiuſmodi noſtri vaſis, intelligunt illi ſoli, qui in prima ſolutione noſtræ materiæ fixæ & perfectæ, hanc in ſuam primam eſſentiam adduxerũt. Ac ſi diceret: Eadẽ eſt fabrica noſtri vaſis occulti, quæ fuit antea, cùm diſſolueretur in eo materia noſtra fixa et perfecta. Formam iſtiuſmodi vaſis ex vno & alio petendam & inueſtigandam eſſe dicit, put à ſcripturæ de vaſe differentis loco, potiùs quàm ab vno & alio artifice, nam iſtorum maxima pars ignorat eã, et ſi qui norunt, non niſi ænigmaticè declarabunt. Notandum (inquit) accuratiſsimè quid in prima ſolutione materia dimittat, & à ſe reijciat. Hinc eſt colligendum, poſt materiæ ſolutionem, ſeparationem eſſe faciendam alicuius partis. Dicit enim, quando ignis vnum elementum ab alio pellit, elementorum fieri ſeparationem, qua ſol & reliqui planetæ circum terram elementalem agere queant ſeu operari, curſusq́; ſuos perficere. Quod vt fiat, neceſſariũ eſt vas habere iuſtam rotunditatis proportionẽ, & altitudinis. Hæc de ſecunda mundificatione dicta ſunt:

in

in prima verò vasa fusoria cæteraq́ instrumenta in textu posita sunt necessaria, tum in opere postremo, proiectionis videlicet.

CAP. XIX.

De secreto philosophorum igne.

CElebris philoſophorum hæc eſt ſentẽtia: Ignis, & Azoc tibi ſufficiant: ſolus enim ignis, totũ opus eſt, & ars integra. Porrò quotquot ignem ſuum carbonibus extruunt, errant, vas in eo calore continentes. Igne fimi equini, fruſtra nonnulli tentarunt. Carbonũ igne, ſine medio, materiam ſublimarunt, ſed non diſſoluerunt. Alij calorem ſuis lampadibus excitarunt, aſſerentes, eum eſſe philoſophorum ignem ſecretum, ad ſuum lapidem fabricandum. Nonnulli poſuerunt in balneum, primò in ouorum formicarum aceruis: alij in cineribus iuniperinis: aliqui ignem in calce viua quęſiuerunt, in tartaro, vitriolo, nitro, &c. Alij in aqua ardente, vti Thomas de Aquino falsò de hoc igne loquitur, inquiens, Deũ & angelos ſuos carere nõ poſſe hoc igne, ſed eo indies vti. Quæ blaſphemia hæc eſt? an non manifeſtiſsimũ eſt mendaciũ, Deũ carere nõ poſſe elementali igne aquæ ardentis? Calores oẽs ijs medijs quæ dicta ſunt, excitati per ignẽ, ad opus noſtrũ prorſus inutiles. Vide ne

ſeducaris ab Arnaldo de Villa noua, qui de carbonum igne ſcripſit: ipſe namque hoc ipſo te decipiet. Almadir ait, ſolos radios inuiſibiles ignis noſtri ſufficere. In exemplum adducit alius calorem cœleſtem, ſuis reflexionibus ad coagulationem & perfectionem facere mercurij, necnon ad metallicam generationem, cõtinuato ſuo motu. Iterum idem, fac ignem vaporoſum, digerentem, vt coquentem, continuum, non tamen volantem aut bulliẽtem, clauſum, aëre circundatum, non comburentem, ſed alterantem & penetrantem: iam verè dixi, omnem ignis & excitandi caloris modũ, ſi verus es philoſophus, bene intelliges: hæc ille. Salmanazar inquit: Ignis noſter corroſiuus eſt ignis, qui ſupra noſtrum vas aërem vt nubem obducit, in qua nube radij huius ignis occulti ſunt: hoc rore chaos, & humiditate nubis, deficientibus error commiſſus eſt. Rurſum Almadir ait, niſi ignis ſolem noſtrum humore ſuo calefecerit, per fimum mõtis, aſcenſu temperato, non erimus participes albi neque rubei lapidis. Hæc omnia demonſtrant apertè nobis, occultum ignem ſapiẽtum. Summatim hæc eſt materia noſtri ignis, videlicet vt accendatur per quietum ſpiritum ſenſibilis ignis, qui ſurſum pellit, velut calefactũ chaos, ex oppoſito, ac ſupra materiam noſtram philoſophicam, qui calor ſupra vas noſtrum gliſcens,

ſcens, ad motum perfectæ generationis, conſtanter intermiſsione ſine temperatè quidem vrgeat. Hæc ego.

EXPLICATIO.

Philoſophi breuiter comprehendunt opus hoc ſuum ſub hac ſententiola videlicet: Ignis & azoc tibi ſufficiant in hac arte: ſolus ignis enim artem perficit, azoc verò materiam exhibet. Per azoc mercurium intelligunt philoſophorum, & per ignem calorem temperatum: hunc negat author extrui debere vel excitari carbonibus, quibus ſine medio ſublimarunt (inquit) ignari materiam ſuam, priuſquam diſſoluerent. Nonnulli fimo, lampadibus alij, in balneo, cæteriſq́, vt in textu, ſed compererunt eiuſmodi media calorum eſſe fruſtranea. Thomas ille de Aquino peroptimè mentitur, inquiens, Deum carere non poſſe elementali igne ardentis aquæ, at eo indies vti. Quæ blaſphemia maior iſta proferri poſſet, Creatorem ipſum indigere ſuis creaturis, ac ſi in ſeipſo & in ſeſe non eſſet abſolutiſsimus. Sed fortaſsis exiſtimauit aliter loqui, cùm nõ animaduerteret perfectionem omnimodam in Deo ſolo, & ſi quæ ſit in alijs, hinc procedere contributè. Villanouanus de carbonibus loquitur, ſed cauẽdum à ſeductionibus. Almadir de radijs inuiſibilib. ignis philoſophici. Alius per exemplum allatum à cœleſti calore ſuis reflectionibus concitato, motuq́; ſuo continuo, verba hæc profert in medium. Fac ignem vaporoſum (inquit) digerentem,

Spiritualis distilletur

vt coquentem, continuum, non tamen volantem, aut bullientem, clausum, aëre circundatum, non comburentem, sed alterantem & penetrantem: iam dixi (inquit) omnem ignis, & ipsum excitandi modum, si verus es philosophus, bene intelliges. hæc ille. Sed verba hæc notentur, dixi omnem modum construendi ignem, ac si loqueretur, elige tibi quemcunque velis ex istis, modò talis sit, qualem tibi præscripsi: vaporosum (inquam, id est, roridum, non fumidum neq; flammeum, digerentem, id est, similem illi, qui digerit cibos in stomachis animalium: vt coquentem, hoc est, veluti panē in furno, & non in olla carnem bullitionibus: continuum, id est, non interruptum, modò calidum, iam frigidum aut extinctum, & rursum accensum: non volantem, id est, flammam liberam ad aëra mittentem: sed clausum, hoc est, non dispersum, sed compressum, ne calor dilatatione debilis fiat, vel extrinseco aëre ventóve dispergatur: aëre tamen circundatum, id est, aëre proprio non externo fotum: non comburentem, id est, non admodum vehementem, sed alterantem & penetrantem, id est, sensim agentem, & materiam inuertētem vt intrinseca eius natura valeat paulatim eo calore, ad naturam perfectionis in superficie circum circa munientis imperfectionem tantisper, donec et ista ducatur, id est, alteretur in perfectam naturam: & penetrantem, hoc est, ad centrum vsq; moderatè longoq; successu motuq; peruenientem. Si verus es philosophus (inquit) bene intelliges. His verbis deridet scholarum infideliū philosophos, ac si loqueretur ad hūc modum: Vis tu vocari

cari philoſophus, & ignorare quæ tibi vel cochlearibus tanquam pultes ingeruntur. Philoſophos veros, id eſt, adeptos decet acutiſsimum ingenium, vt nedum obſcura, ſed etiam abditiſsima quæq; in centrum vſque videat mentis oculis, vt interim de his ænigmaticis, quæ tibi tamen craſſo modo iam ſumus interpretati, veluti pueris Donaticas lectiones, taceam. Salmanazar ait in hanc ſententiam: Noſter ignis corroſiuus eſt, id eſt, paulatim agit, non celeriter, vt rodere ſolēt mures, donec penetrēt corticem, ac ad medullā ſiue nucleū perueniāt: qui ſupra noſtrum vas obducit aërem vt nubē, in qua radij huius ignis occulti ſunt, hoc eſt, qui vapores eleuet ſuos in aërem, vt nubem videmus naturaliter in aëra pelli per ignem centri, & eleuatā ſuſpendi, ſecum etiam radios occultos ignis iam dicti cētralis ad ſublimia deferre: Hoc rore chaos, id eſt, aëreo vapore, & humiditate nubis deficientibus, id eſt, aquea, commiſſus eſt error. Rurſum Almadir ſic: niſi ignis (inquit) ſolem noſtrum, id eſt, materiam noſtram, humore ſuo calefecerit, id eſt, humido calore fouerit, per fimum montis, id eſt, per ſuam nubem (ſunt enim in aëre nubes montium inſtar) aſcenſu temperato, hoc eſt, modeſtè eleuato vapore, non erimus rubei neque albi lapidis participes. Author autem, etſi hæc ſufficere dicat in declarationem occultiſsimi philoſophorum ignis, tamen hac de ſententiam adferre ſuam non diſtulit, inquiens: Hæc eſt materia noſtri ignis, videlicet vt accēdatur per quietū ſpiritum, i. remiſſum vigorē, ignis ſenſibilis, hoc eſt, elemētati, qui ſurſū pellit velut calefactū chaos, id

eſt, tepidum aërem, ex oppoſito ac ſupra materiam, id eſt, ſubtus & ſupra aſcendētem per latera ſurſum, qui calor ſupra noſtrum vas gliſcens, id eſt retentus et ſuſpenſus, motu perfectæ generationis, id eſt, eo qui fit per lentam alterationem ad generationem, temperatè admodum vrgendo.

CAP. XX.

De fermento philoſophorum, & pondere.

PLurimùm in arte fermentorũ, & fermentationum laborarunt philoſophi, quę potiſsima videtur inter alias, de qua etiam nonnulli Deo votum & philoſophis exhibuerunt, ſe nunquam eius rei manifeſtum arcanum, ſimilitudinibus neque parabolis prodituros. Cùm tamen philoſophorum omnium pater Hermes, libro ſeptem ſuorum tractatuum, fermenta luculentiſsimè patefaciat, inquiens, non niſi ex paſta ſua conſtare: ac latius fermentum dealbare confectionem, & aduſtionem impedire, fluxumque tincturæ prorſus retardare, corpora conſolari, & vnionem ampliare. Dicit etiam hanc eſſe clauem atque finem operis, concludens fermentum aliud nihil exiſtere, niſi paſtam, vt ſolis nil niſi ſolem, & lunæ nihil aliud quàm lunam. Alij affirmant fermentum animam eſſe, quæ niſi ritè præparata

rata sit ex magisterio, nihil etiam efficere. Artis huius nonnulli zelotes, quærunt artem in sulphure cõmuni, arsenico, tutia, auripigmento, vitriolo, &c. at frustra. Quoniam est eadem substantia, quæ quæritur, cum ea, ex qua depromi debet. Notandum igitur, eiusmodi fermentationes ex voto zelotum non ita succedere atque vellent, sed vti suprà patet ex dictis, successibus tantùm naturalibus. Vt ad pondus tandem veniamus, dupliciter hoc obseruandum, prius est naturale, alterum verò artificiale. Naturale consequitur effectum in terra per naturam & concordantiam, de qua Arnaldus. Si terræ plus aut minus additum fuerit, quàm natura patiatur, suffocatur anima, nullusque fructus percipitur, nullaq; fixatio. Idipsum de aqua censendum, si plus istius aut minus accipiatur, non inconuenientius damnum attulerit: cuius superfluitas materiam vltra modum humidam reddit, eiusque defectus eam iusto sicciorem efficit, ac duriorem. Si plus aëris adfuerit, tincturæ nimium imprimitur, si parum, pallidum corpus euadet. Itidem si vehementior ignis existat, aduritur materia, si remissior, potestatem exiccandi non habet, neque soluendi, aut alia elementa calefaciendi: in his pondus elementale consistit. Verùm artificiale, est occultissimum, cùm in arte magica ponderationum sit conclusum.

Inter ſpiritum, animam & corpus, aiunt philoſophi pondus cõſtare ſulphure, tanquam operis rectore, etenim anima ſulphur optimè deſiderat, neceſſarioq; obſeruat, ratione ponderis: ad hũc modum intelligito. Materia noſtra eſt vnita rubeo ſulphuri fixo, cui tertia pars regiminis commiſſa eſt, vſq; in vltimum gradum, vt perficiat in infinitum operationem lapidis, & cum eo perſiſtat, vnà cum igne ſuo, & pondere conſtet æquali, cum ipſa materia, in omnibus & per omnia, ſine variatione alicuius gradus permutationis. Poſtquam igitur materia adaptata eſt, & proportionato ſuo pondere mixta, vaſe philſoophorum optimè ſigilloq; ſuo concludenda, & igni ſecreto committenda, in quo ſol philoſophicus orietur ac ſurget, necnon illuminabit omnia, quæ ſuum lumen expectarunt, ſpeq́ue plurima deſiderarunt. His paucis concluſum eſſe volumus lapidis arcanum, nullo puncto mancum neque defectuoſum, pro quo Deo gratias agimus immortales. Iam vobis Theſaurum noſtrum reſerabimus, totius mundi non perſoluendum opibus.

EXPLICATIO.

Poſtquam præcedentibus tribus capitulis de tribus occultiſsimis tractauit, vtpote materia, vaſe, & igne philoſophicis, in hac arte cognitu perquam neceſſarijs, d

de quarto præ alijs abditißimo velatißimoq; per philosophos arcano tractare iam instituit, fermento videlicet ipsorum, & fermentatione, quæ potißimæ sunt inter alias operationes. Votum fecerunt se nunquam apertis verbis in lucem edituros, nec aliter manifestaturos. Quanquam Hermes dilucidè satis dicat fermenta constare ex propria sua pasta. Vulgò scitur fermentum panis non constare nisi ex pasta, ex qua panis ipse constat, & pastam ex farina aquæ permista. Sic etiam Hermes ait aurei panis, id est, lapidis pastam ex auro, tanquam ex sua farina fieri, & argentei ex argento, sed ex ea pasta desumi fermentum, quo pasta fieri queat ex alia farina, sicuti in nutriticio pane solet. Dicit etiam fermentum dealbare confectionem, id est, esse causam dealbationis lapidis: & impedire adustionē, id est, sua perfectione extrinsecus acta, vt suprà, munire ac defendere quicquid adhuc est imperfectionis intrò conclusum: fluxumq; tincturæ, id est, intempestiuam cerationem, sed potius liquationem, retardare, putà donec opus ea sit, retinere: & vnionem ampliare, hoc est, fixionem adaugere. In hoc ponit arcano, clauem atq; finem operis inquiens: fermentum esse pastam, hoc est, ex pasta factum, vti solis est sol, & lunæ luna suæ quodq; farinæ fermentum. Sunt qui fermētum dicāt animam esse, hoc est, farinam ad alterationē excitare, si ritè præparetur. Nonnulli (inquit) artē hanc in sulphure cōmuni quærunt, in arsenico, tutia, auripigmento, vitriolo, &c. hoc est, illi qui hanc artē fermentorum & fermentationum, quærunt in medijs mineralibus, in quibus nō nisi particularia docuimus suprà

in arsenico videlicet, vitriolo, & antimonio frustra conantur ex istis & alijs id genus vniuersale nostrum, de quo nunc potissimùm agitur, conficere. Hæc elegantissimè confirmat author hisce verbis. Quoniam (inquit) est eadem substantia, quæ quæritur, cum ea ex qua depromi debet. Melius quid in hanc sententiam dici potuit nihil, atq; dicere: Quídnam in hac arte quæris philosophe? aurum, inquies, conficere magisterio: sed vnde putas id fieri debere, nunquid ex auro, vel ex lapidibus, veluti lapis ipse tu factus panem petis ex eis vnà cum patre sophistarum omnium, fieri? Quia quæris igitur in eo, in quo non est id quod quæris, pro voto non succedunt qualescunque tui conatus. Ad pondus tandem veniens, duplex hoc ponit, naturale prius: alterum verò artificiale. Naturale dicit in terra per naturam esse proportionatum, quod etiam elementale vocatur, de quo Arnaldum allegat. Si plus terræ (inquit) aut minus additum fuerit, intellige per naturam, vel aliàs, quàm natura, putà componendæ rei, patiatur, suffocatur anima sine fructu: vice versa si plus aquæ, id est, mercurij philosophici & aurei, minúsve, ad fermentum accedat, non inconuenientius eueniet, neque frugalius: huius enim superflua portio, materiam plus nimio humectam reddit: tum pauca iusto sicciorem efficit ac duriorem. Si plus aëris adsit, nimium tincturæ, si minus, parum imprimitur, & pallidum redditur corpus. Pariter ex igne superfluóve calore materia comburitur, si remissior erit, potestatem exiccandi non habet, neque soluendi, &c. Hæc resumere vt ex textu visum

sum est, quòd in istis verbis delitescere videtur vniuersa metallorum & mineraliũ œconomia, per naturam sub terris exercitata, vt infrà sub finem annectemus huius libri, post Thesaurum philosophorum. Etenim si rem, ex verbis exactiùs examines, videbis per improportionatas eiuscemodi rationes naturales, imperfecta quæque sub terra generari per naturam. Aliud est etiam in istis animaduersione dignum, vtpote partes proportionales elemẽtorum fieri iuxta naturam, quæ non operatur per separationem, nisi puri ab impuro, sed per purorum tantùm commistionem. Artificiale pondus autem, dicit esse occultissimum in arte magica ponderationum, hoc est, in mentalibus, & non in elementalibus fieri ponderibus. Nam inter spiritum, animam, & corpus, asseuerant philosophi pondus constare sulphure, hoc est, his tribus communi, tanquam operis rectore, id est, vinculo singulas partes in vnicũ corpus vniente. Hoc interpretatur ad hunc modum: Etenim (inquit) anima sulphur apprimè desiderat, necessarioq; obseruat ratione ponderis, hoc est, pars illa media, quæ est inter spiritum & corpus, tanquam vinculum, desiderat maximè sulphur hoc magicum (quod in Physicis meis vocaui magneticum) & obseruat ratione ponderis, id est, occultæ magicæ vel magneticæ proportionis. Hoc ænigmaticè postmodum interpretatur in hanc sententiam: Materia nostra (inquit) est vnita rubeo sulphuri fixo, hoc est, constat nostra materia ex rubeo sulphure fixo, vel aureo vnito, cui tertia pars regiminis commissa est, hoc est, tanquã tertium et vincu-

lum coniungit, imò potiùs vnit reliquas duas partes, videlicet corpus & spiritum, pacemq́ facit inter istos duos inimicos. Hoc igitur officium fideliter exequitur, vsq; in vltimum gradum, donec perficiat in infinitum operationem lapidis, intelligito per suas multiplicationes, & cum eo nempe lapide persistat, vnà cum igne suo, hoc est, vigore virtuteq́; & pondere constet, æquali, hoc est, proportionato per iustam rationem puritatis in vnione consistentem, cum ipsa materia, hoc est, forma dicta sulphuris & materia sic vnitæ sunt, vt iustam rationem proportionis obseruent in pondere magico, vel magnetico aut supernaturali, si mauis. Concludens igitur theoricam vniuersalis operis Monarchici, loquitur ad hunc modum. Postquam materia adaptata est, & proportionato pondere suo mista, id est, præparata fuerit per mistionem proportionalem iustamq́; suarum partium, est in vase philosophico, sigilloq́; diligenter concludenda, & igni secreto committenda, hoc est, nulli præterquam isti, post Deum tamen, fidenda operatio in materiam necessaria: in quo quidem igne sol philosophicus orietur, hoc est, lumen edet suæ tincturæ, id est, sanitatis, per quam etiam illuminabit omnia, quæ suum lumen expectabunt, hoc est, quæ tinctura hac sua indigebunt ad sanitatem (quæ lumẽ hoc loco dicitur) cùm corporis humani, tum metallici. Hactenus de Theorica vniuersalis operis, siue medicinæ Monarchicæ, post particulariũ arcanorum, cùm Theoricam, tum Practicam disseruit: iam æquum erit ad vniuersalis Medicinæ Practicam etiam deueni-re,

Dosis. In Saccaro quatuor parvas tun Accipe guttas Acceptis guttis morbus abire debet.

ve, quam author Thesaurum suum in sequentibus manifestum exhibet, bonis & validis viuacibusq; singulis ingenijs, ad cuius declarationem patulas aures exhibete, quicunque hoc delectamini: Reliqui hinc fugite procul, ne vos offendant aquæ viuæ, quas in rerum natura nunquam degustastis.



Descriptio Medicinæ
Magnæ contra Paralysin
Sal quadras in eo consistit
maxima Virtus.
Ex quatuor Regnis Sal
tibi conficias
Sal minerale astrale simul
vegetabile nec non.
Postremo Sanum Saturni
male prodest.
Salibus ex quatuor fit
magna essentia credas.
Spiritus est vini Dux dominator
Heres.
Melissa et Q^is ex pluvia urina
Spiritus hic trahitur; si Paralysis
adest.

DE THESAVRO THESAVRORVM OMNIVM, THEOPHRASTI PARACELSI.

NAtura mineralium genus vnũ, in terræ visceribus produxit admirandum, idq́; duplex: hoc varijs Europæ locis reperitur. Optimum quod mihi præ manibus oblatum fuit & experimento comprobatum, ex figura maioris mundi, ab exordio, sphæræ solis est astrum: alterum in astro meridionali consistit, in prima sua florescentia, viscus est terrę, per suum astrum in lucẽ productum, & in prima sua coagulatione ornatu rubedine, in eo flores omnes mineraliũ & colores includuntur, de quib. multa penes philosophos. Quod ad frigidam humidamq; naturam attinet, ad aquam comparatione quadam fuit adaptatũ. Verùm eius notitia perfecta ad experientiam collata, plurimos, imò ferè omnes philosophos, quotquot ante me sagittas suas ad metã emiserunt hactenus, adhuc latuit, frustraque conantes, latissimè declinarunt à scopo vero & completo. Opinati sunt mercurium & sulphur, matrem & patrem esse metallorum omnium, verùm enimuero tertij nõ meminerunt. Imò quod potius est, horum nullus rete piscatorium adhuc in manus assumpsisse potuit,

tuit, quod aquæ veræ conuenit, matri metallorum, quæ quidem artificio ſpagirico ſeparata, ſuos piſces palàm facit, quos neq; Galenica piſcatio, nec Auicénæ rete lacerum, apprehendere potuerunt vnquam. Si modernis phyſicis demonſtrare deberem, vel ſolũ nomen coniunctionis, ſolutionis, & coagulationis, quas ipſa natura in principio mũdi, hoc in ſuo creato patefecit, & demonſtrauit, annus vix ſufficeret, aut papyrus omnis quantacunq; ad eos erudiendum. Dico quidem hoc in minerali tres haberi ſubſtátias, vtpote Mercurium, Sulphur, & mineralem aquam, ex quibus compoſitum eſt, & arte ſpagyrica ſeparatum, ſoluitur in proprio ſuo liquore nondum maturo, & vti pirum in ſua arbore occultum eſt. Occultator piri eſt arbor, in quam vt aſtra naturaq; ſimul cõueniunt, virides ramos edit, Martioque poſtmodum atomos & flores patefacit, vſq; in fructus piriq́ue productionem, faciunt progreſſum, autumno tandem fructus emergunt. Non abſimili modo céſendum eſt de mineralibus, in viſceribus terræ, quæ per aſtra protruduntur: quod quidem alchimiſtæ ſummè conſiderandum venit ad naturæ theſaurum anhelanti. Cuius artificij modum ab initio, medio, & fine, tractatu ſequenti, vnà cũ aqua, ſulphure, balſamoq; ſuis aperiam. Quorum trium ſolutione, & rurſus in vnum con-

iunctione, totum rei negotium abſoluitur ad hunc modum: Sumito mineram cinnabaris, quam abluas aqua cœleſti, per tres horas tandem cola, & ſolue aqua regis ex vitriolo, ſale petræ, & ſale communi facta. Per alembicum abſtrahatur, reaffundatur, & cohobando curetur, vt purum ſeparetur ab impuro, quod infrà. Putrefiat equino fimo per menſem, & poſtmodum ſeparentur elemēta, vt quum ſigna ſua patefecerint, per alembicum deſtillentur igne primi gradus, quo aqua & aër aſcendunt primò, tādem ignis, idq; reliquis gradibus, quæ ab experto operatore diſcerni poterūt. In fundo vaſis terra manet, in qua latet id omne, quod à multis quæſitum fuit, à pauciſſimis tamen inuentum. Terram hanc reuerberatorio concluſam, artificialiter calcinabis, à primo in quintum gradum procedendo, gradu quolibet, ſpatio quinq; horarum: hoc fiet, vt ſal volatile habeas, admodum ſubtile ſicut alcool, & conſtans aſtrum ignis & terræ, quod ſeparabis per elementa aquæ & aëris, quæ ſeruaſti priùs. Tādem ponas in digeſtionem balnei maris, per octo horas, & videbis, quod à multis alchimiſtis incognitum hactenus fuit, & minimè conſideratum. Separa iuxta tuam experientiam, artificiosè & ſpagyrico modo reddetur ipſa terra mirum in modum alba, ex qua tinctūra fuerit extracta. Cōiunge elementum

tum ignis cum ſale terræ alcolizato per digeſtionem & pellicanicum artificium, adhuc aliud ſedimentum ponet iſta ſubſtantia, quod quidem à puro ſeparabis. Tādem accipe pellicanatum leonem, qui ab initio inuentus eſt. Quum videris tincturam eius, & elementum ignis ſuper aquam, aërem, atq; terram, ſepara per tritoriū, & ſolē eiuſmodi cola, per inclinationem, eſt enim aurū potabile. Alcoole dulci vini perfundatur, & abſtrahatur vſq; dū acuitas nulla percipiatur amplius aquę regis. Separato hoc oleum ſolis, & ponito in retortum, ſigillo hermetico clauſum ad eleuationem, i. ad exaltationem, vt in gradu ſuo dupletur. Recipe vitrum hoc occluſum, & in locum frigidū ponito: nō ſoluetur ibidem, ſed coagulabitur, idq; tertiò repetendum eſt ſoluendo & coagulando. Hoc artificio tinctura ſolis perficitur in ſuo gradu. Tum demum ſumito huius duplū, veneris ad ſummum, & ſpagyrico modo præparatæ, ad quam elementa aquæ & aëris affundas, quæ ſeruaras, ſoluito ac putrefacito per menſem vt prius. Et quum ad perfectionem deuenerit, videbis ſignum elementorū. Separa vnum ab altero, ſiquidē ocularitet apparet ab albo rubeum ſecretum. Hoc ab albo ſeparabis, eſt enim tinctura rubea tam potens, vt alba corpora quæque in rubedinem tingat, vel rubea in albedinem, quod valde mirum eſt.

Tincturam hâc per retortum vrgeto: videbis nigredinem assurgere, quam iterum vrgebis per retortum, idq; sæpiùs donec albescat. Prosequere hoc tuum opus, nec animum despondeas præ nimio labore. Toties rectificato, quousq; viridem leonem, verum & clarum videas, ponderosum, & grauem, qui tingit in aurum perfectum. Non desistas ab opere, cuius nunc meminimus, donec signa habeas, & videas leonem atque thesaurum, Leonis decimi thesauro non persolubilem. Bene sit illi, qui repererit, & ad tincturam applicare nouerit. Hoc est balsamum verum astrorum cœlestiũ, quod nullum corpus in putrefactionem abire sinit, lepramque nullam, podagram, aut hydropisin inexpulsas relinquit, administratione grani vnius, si fermentabitur cum sulphure solis. O tu Carole Germane, vbi tuum thesaurum habes, vbi tuos doctores atque physicos, vbi ligni guaiaci coctores, qui duntaxat purgant & laxant? Siccine cœlum tuum irritatum est, & astra tua deuiarunt à recto cursu, lineaque tua prælustris, in aliã viam declinauit? Quid, oculi tui in vitrum & carbunculum transmutati sunt, vt solùm videant ea, quæ ad ornatum & superficiale spectaculũ pertinent, fastum & superbiã? Sanè si tui Doctores Principem suum (quem Galenum vocant) apud inferos degere scirent, indeque huc rescripsisse,

ſe,quò meritam ſui condemnationē toti mundo palàm faceret, vulpina cauda præ ſtupore ſeſe inſignirent. Non minus de Auicenna cenſendum, in Inferni porticu ſedente, quo cum diſputationem & controuerſiam habui,quod ad aurum ſuum potabile, necnon ad lapidem ſuum philoſophicum, ſuamq; theriacam attinet. O vos laruæ ſophiſtarum,qui medicam artem ementimini, cùm tamen ex Deo nata naturæ ſit commiſſa,nō vobis indigniſsimis hominibus,à quibus immeritò ſpernitur! Videte vos hominū impoſtores, qui cathedras in terra ſuperiores amatis, ſuper quas etiam ſedetis, poſt obitum meum exurgent mei diſcipuli, qui vos hypocritas palàm facient,ac in lucem prodent vnà cum veſtris coquis immundiſsimis,qui veſtros Principes & Potentatus Chriſtianos miſerè ſeducitis, & in mortem adducitis, veſtra medicina. Væ vobis in extremo die iudicij. Spero meam monarchiam honore mihi debito triumphaturam. Non quòd meipſum extollam, ſed ipſa natura me. Ex ea ſiquidē natus ſum ego medicus, ipſam ſequor, ipſa me nouit,& ego ipſam noui,quia lumen, quod in ipſa eſt,vidi,in figura microcoſmi cōprobaui,ac in ſuo mundo ita eſſe reperi,quod verum eſt. Vt tamē ad inceptū redeam,meiſq; diſcipulis faciam ſatis,quibus etiam doctrinā meam impertiens optimè faueo, dummodo

eam quęrant in luce naturę, & experiantur, astrorum cognitionem habeant, ac in philosophia docti sint: omnia docebit eos, ac patefaciet aquæ natura, & omne quod scripsi.

Sumito igitur liquoris mineralium quantum voles, salis rubeæ terrę partes duas, sulphuris solis partem vnam. In pellicano posita soluantur & coagulentur, idq; tertiò. Hac via tincturam habebis alchimistarum, cuius pōdus hoc loco minimè describendum, sed libro de transmutationibus. Quicunque solis astri vnciam vnam habuerit, & super aliquot vncias auri proiecerit, proprium suū corpus tinget. Astrum mercurij si habuerit, totū corpus mercurij vulgi similiter tinget. Si veneris astrum non absimili modo, veneris corpus integrum in optimum aurum tinget, inque summam & constantem perfectionē: sic de reliquis metallorum astris iudicādum, vt Saturni, Iouis, Martis, &c. Ex quibus etiam eadem ratione tincturæ trahuntur, hoc loco minimè describendæ, quòd libro de natura rerum, & archidoxorum habeantur. His paucis primum ens metallorum & mineralium terræ satis abundè veris alchimistis vna cum tinctura alchimistarum declaratū volo. Nec est, quòd quispiam operantum deterreatur spatio temporis mensium nouem, verùm progrediatur absq; tędio, spagyrico ductu, quo quadraginta diebus

combureendo ad seis.

bus alchimiſticis figere poterit, extrahere, exaltare, putrificare, fermentare, & coagulare lapidem alchimiſtarum, ad honorem Dei & vtilitatẽ proximi. Soli Deo laus, honor, & gloria in æternum.

EXPLICATIO.

Priuſquam ad practicam deueniat, optimo iure de materia latiùs clariusq́ diſſerere voluit inquiens: Naturam mineralem genus vnũ in matrice terræ genuiſſe varijs in locis, idq́ ſub duplici forma, quorũ alterum eſſe dicit optimumq́, ſolis videlicet vires atq́ potentias in aureo corpore quodam deliteſcentes: hoc ipſum experimento ſe comprobaſſe dicit ex figura maioris mundi, hoc eſt, ex opere Monarchiæ ſpagyricæ, ſupercœleſtíque magiſterio, in quo apparet figura, cùm firmamenti cœli, tum elemẽtorum inferiorum Globuli minoris: Alterũ in aſtro meridionali conſiſtit, hoc eſt, in ea plaga naſcitur, & eſt, viſcum terræ per ſuum aſtrum, puta terræ centrum huiusq́ virtutem igneam, in lucem productum, ornatum rubedine in prima ſua floreſcentia, i. naſcentia. Quidquid ſit, ex præcedentib. omnibus colligendum eſt, aurum immaturũ eſſe, quod à natura non eſt elaboratum, vel ob caloris naturalis defectum, aut aliàs propter aliud accidentale quodpiam impedimentum. Sed hoc fortè contradicere videtur priùs allegatæ philoſophorum ſentẽtiæ, dicentiũ, vbi natura deſiit operari, debet ibidem artifex incipere: ni fortaſſe

per hoc excusetur, quia natura intelligitur vbiq; suum opus reliquisse, vbi fuit impeditum, quocunque modo etiam id eueniat, non solùm post introductam materiæ formam absolutam, sed etiam antequam introducere valeat impedita. Siquidem opus est maiori calore in operis medio fineq;, quàm ab initio, quo fit, vt nonnunquam iniuria loci, vbi natura hoc suum opus inceperat, calore deficiente maneat imperfectum, vel in medio, vel in fine. Quandoquidem aurum operari natura (etsi non perficiat) conatur vbique, quòd nullibi sol radios suos nõ emittat perpẽdiculariter vel obliquè. Desinit itaq; nihilominùs agere, ac si perfectã introduxisset formã, quia quam potuit introduxit, licet imperfectã, cessatq; motus eius ibidẽ, æquè atq; cessasset introducta perfecta. Cõparatũ fuisse genus hoc minerale ad aquã, ob humidã frigidamq; naturã, dicit. Nã parum adhuc immutatũ est à sua radice, quæ fuit, vt reliquorum omniũ mineraliũ atq; metallorũ aqua mineralis, purißima tamẽ per mundißimum sulphur coagulata. Huius materiæ verã experientiã, ante sua tẽpora, dicit Paracelsus, valde paucis cognitam fuisse. Non dicit materiam eis incognitam, sed artem præparationis perfectam eius, ipsos adhuc latuisse, & à vero scopo longè lateq; deuiasse, ac sagittas suas non attigisse metam perfectionis absolutæ. Crediderũt mercurium & sulphur, putà existẽtium in dicto minerali, matrem & patrem esse metallorum omnium, sed non meminerunt (inquit) maximè necessarij, tertij, videlicet vinculi & animæ coniungentis, ac matrimonium copulantis sulphuris.

phuris. Neminem eorum dicit rete piſcatorium inueniſſe, quod aquæ veræ matri metallorum conuenit, hoc eſt, mercurio philoſophico, quod neceſſarium eſt ad hoc opus, hũc enim nõ cognouerunt. Hæc (inquit) aqua ſeparata magiſterio, ſuos piſces palàm facit, hoc eſt, extracto rete hoc nudantur piſces, vel exiccata, vel in locum vnum congregata, apparent in arida piſces, qui reti fuerãt inuoluti, & quos Galenica piſcatio non potuit, nec Auicennæ rete lacerum apprehendere. Hoc eſt, ignorarunt iſti, in tam vaſto naturalium Oceano marive, quibus inſtrumentis & hamis, piſcandæ ſunt vires atq; virtutes arcanorum, in corporibus naturalium deliteſcentes. Si demonſtrare deberem (inquit) vel nomen harum trium operationum duntaxat, videlicet coniunctionis, ſolutionis, & coagulationis, quas in principio mundi, hoc eſt, ab initio magiſterij ſpagyrici (quod mundum vocat ob apparentias omniũ quæ vidẽtur in hoc mundo) natura demõſtrauit in hoc ſuo creato, minerali putà, vix annus multa cũ papyro ſuffiⁿceret, nec eos erudire ſatis poſſem. Tandem aggreditur materiæ ſpagyricæ, ſiue Monarchicæ declarationem ad hunc modum. Tres in iſto minerali ſubſtantias ineſſe dicit, mercurium, ſulphur, & mineralem aquam, ex quibus compoſitum eſt, & in proprio ſuo liquore nondum maturo ſolui, ac vti pirũ in arbore ſua, hoc eſt, in corpore ſuæ manſionis, occultari. De hac arbore lege in ſequenti tractatu huc appoſito, De mineralium œconomia naturali. Similitudinem ſumit ab arboribus, ſub hyemem, non aliter quàm corpora mineralium &

metallorum, silentibus, quæ mense Martio tandem in atomos, frondes, atq; flores prorũpunt, ac deinceps consequenter in fructuum productionẽ faciũt progressum, donec autumnus & messis adueniat collectionis. Nõ aliter de mineralium annorum temporibus iudicãdum est, in visceribus terræ fieri, cùm per astra, hoc est, vires atq; virtutes cœlestes in inferiora demissos, protrudun tur. Huius artificij modum ab initio, medio, & fine, hoc est, à sua hyeme, vere, æstate, & autumno suis, in sequentibus aperire pollicetur, vnà cum aqua, sulphure, balsamoq;, id est, mercurio, suis partibus componentibus, quarum trium solutione, hoc est, debita separatione, & in vnam coniunctione, id est, vnionẽ monarchicã, negotiũ totius operis absoluitur (inquit) in hunc modum qui sequitur in textu. Processus operationis clariùs declarari non potest, quàm in textu per se positus est, quare ne frustra paginas implere dicar, ea tantùm quæ necessaria videbuntur, et interpretatione digna, huc apponam. Absoluta priore narratione sui processus, ad viridem leonem transiens, hunc dicit esse thesaurum, qui Leonis decimi, & Caroli Germani thesauros excedat. Ista scripsisse videtur, de balsamo verò, vt ait, astrorum cœlestium, quod nullum corpus in putrefactionem abire sinit, lepram nullã podagram, aut hydropisin inexpulsas relinquit, administratione grani solùm vnius: fermentari tamen vult cum sulphure solis. Ad Carolum rediens, inquit, vbi tuos thesauros, doctores, atque physicos, ligni Guaiaci coctores habes, qui duntaxat purgant & laxant? Ac si diceret: O Carole

role, si tui doctores hoc arcanum in scholis infideliũ didicissent, quod impoßibile fuit, nec nisi in spagyricis, opus non esset ipsis ad Guaiacum, tãquam ad sacrã anchoram in desperatis ac aliis morbis, confugere. Hoc solo possent omnes ægritudines & corruptiones propulsare sine fœtidis illis purgationibus, ventrisq́; laxationibus. Siccine cœlum tuum irritatum est, ait, & astra tua deuiarũt à recto cursu? hoc est, ea, quæ tibi cœlitus data sapientia fuit, ad hunc modum est perturbata, lumenq́; perspicacitatis ingenij tui, quod astris haud dissimile est, in tenebras ita versum credam, vt cursum in cœlo tuo, hoc est, in inclinatione tua natali, recto tramite perficere nequeant: item linea tua prælustris in aliam viam declinauit, hoc est, generositas, quam hæreditario iure quodam habes in rectè de singulis iudicando, ab auita linea semper iam degenerauit quæso? vt etiam oculi tui in vitrum & carbunculum transmutati sunt, hoc est, solùm intenti ad annulos & gemmas quibus doctores tui solùm ornantur, non arte vera medica, quæ in arcano hoc astrorum cœlestium balsamo consistit? Admiratur per interrogationem, innuens, hoc sibi nunquam persuasum iri, vt tam sapiens Princeps, Salomon alter qui meritò dici debuit à sapientia, id non videat, sed cùm alios non reperiret, his contentum esse oportere tam magnanimum Principem deplorat, ipsiq́; Monarchiam, quam hoc loco describit, optat: libentérque impertiuisset, nisi aulas & seruitutem à natura semper fugisset, cùm sæpius vocatus, id solum responderet: Non sit alterius, qui

suus esse potest. Sanè si doctores (inquit) principem suũ (quem Galenum vocant) apud inferos degere scirent, &c. quæ in textu. Hic locus plurimis non parum scandali præbuit, vt riderent hominem scribere damnatos ab inferis huc rescribere, tum cum ipsis haberi posse colloquium. Verùm si Paracelsi mentem intelligerent, eius quoque scribendi modum admirarentur, quo consilio tam absurda scribere voluerit, vt illud etiam quod habetur de scriptione ad Athenienses scholas, quæ longo tempore ante Paracelsum natum esse desierãt. Hac via nimirum, vt feliciora hominum ingenia, vexationibus ceu illecebris quibusdam, ad perscrutãda singula diligenter eius tam admiranda scripta, pelliciat: contrà verò crassos homines, qui talia ferre nequeunt ænigmata sub nuda phrasi posita, procul abigat, velut indignos. Galenum itaque deguisse apud inferos intelligit, etiam priusquam moreretur, indeq; scripta sua rescripsisse, hoc est, desumpsisse, vel tanquam ex libro inferorum descripsisse: quo palàm toti mundo suam condemnationem, etiam viuus, faceret. Qui autem aliter scriptum hoc intelligent ex literali sensu, vulpina cauda (inquit) præ stupore sese insignient, id est, muliercularum instar admirabuntur hoc mirabile dictum, ceu paradoxum. Non minùs de Auicenna censendum esse (ait) ipsum in inferni porticu sedentem, hoc est, in aula infernalium suorum scriptorum, quib. cum, scriptis intellige, vel contra quæ disputationem & controuersiam se, quod ad auri potabilis descriptionem. & lapidis sui philosophici, habuisse dicit, deq; sua theriaca:
non

non coràm, sed cum eius libris, quos etiam exußisse Basileæ palàm ac publicè fertur, non flammis infernalibus, sed elementatis. Accipit igitur libros Auicennæ pro suo authore, sicuti scripta Galeni pro Galeno ipso, pariter & Athenienses pro discipulis horum infidelium hominum, atque nefarijs sectatoribus. Hoc scribendi genere lectorum suorũ acuit ingenia, disponitq; meliùs, vt reliqua intelligant, quæ faciunt ad artẽ. Quandoquidem ista manifestißimè prolata, qui non intelligent ex allegorico sensu, non video qua ratione capiant abstrusißima: qui verò percipient, non erunt, vt ipse existimauit, ad maiora prorsum inhabiles. Inde progrediens, in istos acriter exclamare pergit, inquiens: O vos Laruæ sophistarum, &c. vt in textu. Medicam artem ementiri, & falsificare dicit per sophisticationes, quotquot medici sibijpsis medicinam adscribunt: arrogantißimi namq; sunt homines, de stolido suo stultoq; capite fingentes quicquid in medicina proferunt, cùm soli naturæ Deus medicinam tribuerit, imò ex Deo nata sit, hoc est: Quicquid in corporibus naturalibus delitescit, vires & facultates habens medendi, hoc omne Deo ferendum est acceptum, qui naturæ dedit, veluti medijs quibusdam & vehiculis, aut habitaculis, præter quæ non possunt apud homines subsistere, nam spiritus sunt incorporei, qui nisi corpus induant, fugiunt vt haberi nequeant. Primùm, corpus induunt in firmamento, quodlibet iuxta voluntatem altißimi, donantis, ac disponentis hæc & omnia pro suo arbitrio, vel hoc vel illud astrum, siue planetam. Et quamuis eiuscemodi vir-

tutes diuinæ ſint, ac perfectiſſimæ, debilitantur tamen hoc indumento, quia perpetuum ac æternum cum tranſituro quandoque iunctum eſt inſeparabili, diuinóque nexu: Alterum corpus hæc vnio poſtmodum induit in elementis, à quo tamen ſpoliari, hoc eſt, ſeparí poteſt, & iſto magis quàm priori debilitantur primæ virtutes, imò tanquam incarcerantur, ac iam in tenebris deliteſcunt, quæ priùs lucem inhabitabant. Eiuſmodi corpora duo non ſunt Medicina, ſed id ſolùm quod includunt in ſe, mederi poteſt, non elementum, neque firmamentum, quantò minùs homo externus, ſed internus ille ſolummodo, cui datum eſt internas atque latentes in externo corpore vires, è ſuo carcere liberare noſſe, retento priore ſiue firmamentali vehiculo ſuperiùs dicto. Imò nec iſte artifex medicus eſt, ſed veri medici, cùm naturalis, tum ſupernaturalis miniſter duntaxat. Quid igitur de medicina gloriantur Galenus, Auicenna, cæteríque id genus hominum infidelium (quos Paracelſus ſophiſtarum laruas nominauit) cùm medicinam ipſam non viderint vnquam, neque nouerint, ſed carceres ac tenebras medicinæ tantùm? Quapropter optimo iure cum Paracelſo, laruatam infidelium eſſe medicinam, cur dicere non poſſit vnuſquiſque, libenter audiremus. Et ipſi Gentiles (inquiet horum acerrimus propugnator) ſua medicamenta præparare norunt. Audiamus qua ratione. Roſarum & violarum olea, cæteráque per infuſionem in oleis oliuarum, aut amygdalarum dulcium,

cium, conficiunt virtutes, vt opinantur falsò, cum odoribus elicientes eorum quæ infunduntur, & crassum corpus abijciunt. Notate verba quæso fratres. Carceribus inclusas virtutes suis naturalibus, alijs longè tenebricosiorib. concludũt, vt ipsi fatentur, cùm crassum & pingue corpus abijciunt: nos ad hæc dicimus in eo quod abiecerunt corpore, virtutes potißimas, imò integras adhuc manere, ipsosq; nihil aliud habere in oleis addititijs, præter odorem, & nihil vmbratile canis AEsopici. Reminisci me cogit stulta hæc ratio Hispani cuiusdam, qui cùm assas carnes emere nequiret, odorem ipsarum astans, cum pane & raphano comedit, vel, vt ita dicam, in pane conclusit odorem, quo tamen stomachum nec intestina potita sunt, nec vllum aliud membrum præter cerebrum: cuius tamen imaginatio multò plus effecit, per conceptum odorem, quàm incarceratio rosarum & violarum odorum, per ingluuiem præstare possunt. Hac ratione dicetur hæc medicina fumosa vel vmbratilis, quæ laruata priùs dicebatur aut superficialis & incarcerata.

Rursum dicat veteres etiam olim destillasse vegetabiles herbas, & id genus alia. Quid inde magis, quàm antea dictum est, reportarunt, fumosos nempe vapores aqueos, cùm incluso tantùm odore, medicina vera suis in fecibus, quas abijciunt, manente? Non habetis, ô vos insensati, clauem carcerum naturalium. Ad naturam ipsam, & non ad scholam vestram estis relegandi.

Videtis ne illam reserare carceres, & liberare captiuos edulijs liquores, quos firmamentales vocaui, idq; sua claue, digestionis videlicet: non ita cum vestris carceribus agitis, quas faeces appellatis, cùm in istis quae sper nitis, pretiosissima lateat medicina. Quo factum, vt vobis hoc obiiciat Paracelsus: O vos laruae sophistarum, (inquit) qui medicam artem ementimini, cùm tamen ex Deo nata, naturae sit commissa, non vobis indignissimis hominibus, à quibus immeritò spernitur, id est proiicitur, odore vano solùm à vobis retento, euanidoq; fumo. Videte (inquit) hominum impostores, hoc est, nedum aliorum, sed etiam vestrimet ipsorum (quos homines existimat, non viros) qui cathedras in terra superiores amatis, id est, ambitiosè supra naturam fir mamẽtalem vosipsos extollitis, super quas sedetis, hoc est, in ea phantasia, per praesumptionem securi quiescitis, vobis pollicentes neminem contradicere vllatenus vel posse, vel debere: spe tamen hac vanissima frustrabimini. Post enim obitum meum (ait) id est, etsi ego in vita nihil aliud efficiam, quàm vt doctrinae medicinaeq; veritatem scriptis ita propalem, quae fuit à vobis hactenus in sepulchro detẽta, haec sibi discipulos multos concitabit, qui vos hypocritas palàm facient, hoc est, Gentilitios fucos vestros detegent, quibus nedum ignarum & ignobile vulgus, verumetiã Principes & Christianos Potentatus vestros, id est, à quibus etiam stipẽdia magna erogatis, miserè seducitis in mortem vsque, vestra medicina, hoc est, perniciosa, propter nullam aut inualidam repurgationem eius à suo veneno, quo

qui-

quidem in rerum natura nihil quod proprio careat: vti de auro præ cunctis excellentißimo habetur, De vita longa, lib.3.cap.3. Væ vobis (inquit) in extremo die iudicij. Spero meam Monarchiam, honore debito, mihi triumphaturam, hoc est: Vniuersalis hic medendi modus, quem doceo, longè maiore fructu quàm veteres, (quo fit etiam vt meam vocem Monarchiam, tanquã à me, si non inuentam priùs à suis principijs, tamen ad suum finem accuratiùs adductam) honore debito, Deo videlicet, mihi triumphaturus est, tanquam illi qui hanc per ipsum, adhuc in tenebris hærentem, prorsum erui. Hoc est, Soli Deo debetur honor, qui dedit ac reuelauit eam suis, quibus etiam triumphum non inuidet naturalem, id est, in hac vita. Hoc ipsum interpretatur author hisce verbis videlicet: Non quòd meipsum extollam, sed ipsa natura me. Hoc est, non sum ita præsumptuosus, vt me, infidelium more, medicum primũ existimem, sed naturam ipsam, cui Deus medicinam dedit, medicum agnosco, hinc est cur ipsa me honoret, veluti ministrum fidum, tutißimis ac verißimis experientiis, sic volente iubentéque Deo optimo, maximóque medico. Ex ea si quidem, putà natura, natus sum medicus, hoc est: Si quid in medicina boni habeam, hoc omne Deo per naturam, quæ me velut filium docuit, acceptum fero, tanquam per medium. Ipsam sequor (inquit) ipsa me nouit, hoc est, Quia nihil de meo capite somniatum in medicinam adfero, nec aliquid, quod ab ipsa natura non didici, hinc fit etiam, vt ipsa me, tanquam præceptor discipulum suum do-

ceat. Tandem ait: Et ego ipſam noui, quia lumen, quod in ipſa eſt, vidi, hoc eſt: Ego hac via didici Medicinam à vero Medico, natura videlicet, quia in eius libro ſtudui, qui lux eſt naturæ quibuſuis conſpicua, licet cognita paucis: & in figura microcoſmi comprobaui, hoc eſt, Theoricam in lumine didici naturæ, quam ad Practicam in humano corpore, per certiſsimas experientias comprobaui, & in ſuo mundo, microcoſmi putà, veriſsimas reperi, hoc eſt, eandem rationem vtrunque mundum habere, maiorem atque minorem. Poſtremò rediens ad Monarchiæ ſuæ proceſſus narrationem, ſummariè concludit, in iſta luce naturæ diſcendum eſſe, per cognitionem aſtrorum, & adeptam philoſophiam: hæc (inquit) omnia docebit meos diſcipulos, ſimul & aquæ natura, quam infrà ponit.

Sumito (inquit) liquoris mineralium quantum voles, & cætera quæ ſequuntur in textu, per ſe tam clara vt dilucidiùs exponere nequeam, niſi velim eadem ferè verba recenſere, & quod actum eſt, rurſum agere. Præterire non eſt æquum, authorem hoc loco dicere, completum hoc opus eſſe Solis aſtrum. Antea namque locutus erat de aſtro ſphæræ ſolis, cùm de ſubiecto duplici faceret mentionem ab initio huius capituli, Hoc de tractatum non eſt hoc loco, ſed ſolùm de aſtro meridionali rubeo. Quapropter de ſphæra ſolis aſtro meritò dicendum eſt, ex mente ſimiliter Paracelſi, non priùs tamen, quàm abſol-

absoluerimus, quicquid de meridionali dixit, quæ quidem & sequenti capitulo pariter astra, latiùs declarantur. Notandum itaque, quod de astris omnium metallorum dicit, videlicet astrum Solis, astrum Mercurij vulgi, Veneris, Saturni, Iouis, Martis, &c. quodlibet proprium suum corpus tingere, in summam auri perfectionem. Concludens itaque, his paucis (inquit) primum ens metallorum & mineralium terræ, &c. declaratum volo. De tempore & spatio nouem mensium, addit, obseruandum hoc non esse, cùm diebus quadraginta, qui mensem philosophicum implent, opus integrum bonus & eruditus artifex absoluere valeat, per omnes requisitas operationes, ad honorem Dei & vtilitatem proximi. Laudetur altißimus, qui de profundißimis abyßis thesaurorum suorum, scintillam hanc, & ingentißimum thesaurum ad nos deriuare voluit.

De eodem, alio modo, thesauro.

PRiusquam de tinctura physica dicamus, operæprecium erit in primis scire quod sit eius subiectum; hoc enim semper occultatum est hactenus. Est igitur tincturæ materia res quædam (vbi me tamē iuxta spagyricum sensum intellexeris) quæ quidem ex tribus in es-

ſentiam vnam arte chimica tranſit, aut manere poteſt. Verùm vt eam ſuo nomine declarē iuxta veterum vſum & conſuetudinem, Leo rubeus à multis vocatus eſt, à paucisſimis verò cognitus. Hic per auxilium naturæ pariter & artis poteſt in aquilam albam transmutari, vt ex vno duo fiāt, quæ ſpagyro ſupra ſplendorē aureum relucent, in vno ſeruata magis lucēt. Iam ſi Cabaliſtarum & veterum Aſtronomorum conſuetum ſermonem non intellexeris, à Deo minimè ad ſpagyricam artem vocatus es, nec per naturam electus, imò non aptus vt os vix in arte hac aperias. Eſt itaq; materia tincturæ margarita maxima precioſisſimusque theſaurus, ac nobilisſimum hoc omne quod ex altisſimi conditoris manifeſtatione, meditationib. hominum obtingere poteſt. Hoc eſt Lili Alchimiæ, & Medicinæ, quod philoſophi tam accuratè quæſierunt, verùm ob defectum integræ cognitionis, & perfectæ præparationis eius, ad abſolutisſimum finem perducere nondum potuerunt. Per inueſtigationes eorum & experiētias, tincturæ tantùm initium datum eſt nobis, attamen verum fundamentum, quod meos imitari diſcipulos oportet, mihi relictū fuit, vt nemo ſuas laruas noſtris inuētionibus immiſcere debeat. Ego (inquit Paracelſus) meritò poſt longas meas experientias ſpagyros corrigam, & falſum & erroneum

à vero

à vero ſeparabo, cùm prolixis admodum inue ſtigationibus meis repererim, quò iuſtè ſimilia reprehendere queã & immutare. Veterum ſi tamen experimenta meis excellẽtiora comperiſſem, tãtos minimè labores aſſumpſiſſem, quos in gratiam, vtilitatem & honorem proborum alchimiſtarum omniũ libenter ſubij. Cùm ergo tincturæ ſubiectum ſatis declaratũ ſit, vt fratres inter duos vix fideliùs queat ac liceat, præparationẽ eius aggrediar, & vltra primi ſeculi experientias, addam & meas inuentiones. Spagyri veteres lili putrefecerunt vno menſe philoſophico, poſtmodum ſpiritus humidos ab eo deſtillarũt, quouſq; ſicci tandem eleuati ſunt. Caput mortuum ſpiritib. humidis imbiberunt, & ab eo per deſtillationem ſæpius abſtraxerunt, idque tamdiu donec ſicci prorſum eleuati ſunt. Deinceps abſtractos humores, & ſiccos ſpiritus per pellicanũ ter aut quater ſimul vniuerunt, vſque dum lili totum in fundo ſiccum reſederit. Quanquam experientia prima proceſſum hũc ante fixationem dedit, nihilominus anteceſſores noſtri ſæpius eo votum perfectè ſuum aſſecuti ſunt. Breuiorem tamen viã habuiſſent ad rubei leonis theſaurũ perueniendi, ſi concordãtiam Aſtronomiæ cùm Alchimia didiciſſent, quam in Hermetis Apocalypſi demonſtraui. Cùm verò dies quilibet (vt Chriſtus loquitur in fidelium

consolationem) propriam suam essentiam habeat, spagyris ante mea tempora labor fuit ingens & grauis, qui iam auxilio Spiritus sancti affluentis hoc postremo seculo mea theorica subleuabitur atque practica. Cùm ergo primum sæculum tincturæ primam dederit experientiam, ex vno simplici duo spagyri fecerunt. Verùm quòd inuentũ hoc medio seculo perijsset, eorum successores diligenti perscrutatione postmodũ in eiusmodi nomina duo simplicis inciderunt huius, idque nominarũt vnico vocabulo, nempe lili, tincturæ subiectum. Tandem imitatores naturæ materiam hanc, nõ secus ac in terra semen, tempore suo putrefecerunt, cùm antẽ corruptionem hanc ex eo nihil enascatur, nec aliquod arcanum erumpere potest. Postea spiritus humidos abstraxerunt à materia, donec tandem ignis violentia sicci pariter eleuati sunt ac sublimati, vt hac via non aliter quàm rusticus ex anni tempore, peruenirent ad maturitatem. Postremò tandem finito suo vere prodijt æstas, quo tempore fructus istos & siccos spiritus incorporarunt, & magisterium tincturæ eò perduxerũt, vt ad messem deuenerit, & ad extremam se maturitatem disposuerit. Tam prolixo labore tædiosaque reiteratione spagyri veteres nõ indiguissent, si ex mea schola didicissent opus, longè citiùs ac minoribus impensis votum

C 4.

tum fuiſſent aſſecuti. Proinde vobis dico (Pa-
racelſus inquit) roſei coloris tantùm à leone
ſanguinem accipite, & ex aquila gluten, quæ
poſtquam ſimul cõiunxeritis, iuxta veterem
coagulate proceſſum. Tincturam habebitis
philoſophorum, quam infiniti quæſiuerunt,
inueneruntque paucisſimi. Quædam itaque
ſimplicia componit Alchimiſta, quæ corrum-
pit vt eſt artis, indeque præparat aliud, ac tan-
tiſper donec vnum fiat: hoc plus efficit quàm
ipſa natura per ſe poſſet. Rectè probeque me
vt intelligas, leonem tuum in Oriente quæ-
ras, & aquilam ad Meridiem in aſſumptum
hoc opus noſtrum. Inſtrumenta meliora non
reperies, quàm Hungaria & Hiſtria produ-
cunt. At ſi cupias id ex vnitate per dualita-
tem in trinitate, cum æquali permutatione
cuiuſque deducere, tuum iter ad Meridiem di
rigas oportet; ſic in Cypro votum cõſequeris,
de quo latiùs minimè loquendũ. Arcana plu-
ra tranſmutationes exhibentia reperiuntur,
etſi paucis cognita, quæ licet alicui manifeſtẽ-
tur à Domino Deo, nõ propterea ſtatim erum
pit rumor cum arte, ſed omnipotẽs cum ipſis
dat pariter intellectum hæc & alia celãdi vſq;
in aduentum Heliæ Artiſtæ, quo tempore ni-
hil tam occultum quod non reuelabitur. Vi-
demus enim in+ ſulphure Iouis maximam eſ-
ſe tincturam gemmarum, quæ quidem eas

+ in German: in Igne Sulphuris

altiùs adducit, quàm ipſa natura per ſeipſam valeat. ſed de his hactenus: ad phyſicā tincturam tandem redeamus. Poſtremò ſpagyri veteres lili pellicanatum, ignis ordinata quadā augmentatione materiam ſuam tamdiu fixarunt, quouſque, poſt omnium colorum diſparitionem, rubeum inſtar ſanguinis induerit, & cum eo ſalamandræ conditionem. Rectè quidem ab eis proceſſum fuit, ac ad eundem vnumquemque, margaritam hanc ambientem, procedere modum æquum eſt ac decet. Hunc tibi clariùs declarare poſſe mihi difficillimum eſſet, cùm tamen didiceris in Alchimiſtarū ſchola gradus ignis obſeruare, vaſa quoque mutare, tum demum videbis, mox atque lili tuū in ouo philoſophico fuerit ex calefactum, admirandis apparere demonſtrationibus, vt coruo nigrius fieri, cygno poſtmodum ſucceſſu temporis albius, & poſtremò trāſiens per flauedinem ſanguine quouis magis rubeum. Cùm igitur Ægyptiorum theſaurum præ manibus habuerimus, eſt quòd in vtilitatem noſtram conuertamus, idq; duplici magiſterio, priore quidem ad inſtaurationem ſanitatis humani corporis, poſteriore in tranſmutationem metallorum. In huius vſum vt veniat, eius primò pondus vnum ſuper mille ſolis fuſi pondera proijciendum eſt. Medicina tum demum præparata fuerit ad metallorum tol-

lendam lepram. Item physicorum in Ægypto nonnulli per hanc tincturam annos centum & quinquaginta vixerunt. Aliorum vita prolixior fuit hoc medio, vt ex historijs patet. Est itaque tinctura physicorum vniuersalis medicina quædam, quæ cunctos morbos consumit non aliter quàm ignis omne lignum. Do sis eius est valde exigua, sed operatio potentissima. Per eam (inquit Paracelsus) curaui lepram, hydropisim, caducum, venereã labem, guttam, colicam, &c. item lupum, cancrum, noli me tangere, fistulas, & genus omne morborum internorum & externorum.

Explicatio.

Antea præcedenti capitulo dictum fuit, in minerali subiecto Monarchiæ, tres inesse substantias, quod hoc loco repetit in hanc sententiam. Est (inquit) igitur tincturæ materia, res quædam, (vbi me intellexeris iuxta spagyricum intellectũ) quæ tribus est in essentiam vnam, arte chimica, ritè compacta substantijs, quæ suo nomine Leo rubeus appellatur à veteribus, à paucis autem cognoscitur. Ex hoc vno, duo fieri possunt, videlicet Aquila alba, & Leo rubicundissimus, idque per artem auxiliante natura. Hunc (inquit) sermonem Cabalistarum, & Astronomorum veterum si non intelligas, ad spagyriam à Deo te minimè vocatum esse putato, neque per naturam electum: ad materiam

C. 7.
M dabatur in vino vel alio liquore
33.

tincturæ, hoc est, Monarchiæ margaritã, & pretiosissimum thesaurum, præ cæteris nobilissimum, qui ex altissimi Conditoris manifestatione, meditationibus hominum acquiri potest. Paucissimi norunt & experti fuerunt, qua via quáve ratione detegantur per philosophiam adeptam arcana. Plurimi verò qui Monarchiam hanc non possibilem credant, imò funditus negent. Quid mirum? tales nihil nisi visibile carneũ oculis percipiunt. Sed quid lapidibus verba dare proderit? non magis stupidis ingenijs qui negabũt visibilia quæque priùs inuisibilia fuisse: de his satis, quod ingenioso valere queat. Sed ad rẽ. Hoc est lili Alchymiæ (inquit Paracelsus) & Medicinæ, &c. hoc est, in hoc subiecto Monarchiæ, quod ex tribus in vnũ conuenientib. constat, vt suprà dictum est, duo magisteria perfectissima latent, prius ad alchymiam in transmutandis imperfectis metallis in perfecta: posterius verò est vniuersalis & indifferens ad omnes morbos medicina, vnde Lili nomen etiam habet, non secus atq; ex duobus floribus ab vna radice tractis. Veteres hunc duplicem florem cognouerunt quidem, sed non perfectè, neq; omnimodam eius præparationem, quo factum, vt ipsum ad perfectum finem nõdum adduxerint: hoc solùm præstiterunt nobis, vt initium tincturæ dederint. Verum fundamentum (inquit) quod meos imitari discipulos oportet, mihi relictum fuit, vt nemo suas laruas meis inuentionibus immisceat, ac si loqueretur ad hunc modum: Antiqui solummodo aliquod principium habuerunt vniuersalis Medicinæ, siue Monarchiæ, sed non verum

verum & perfectum fundamentum huius, neq; subiecti sui præparationis; hoc mihi relictum fuit à Deo per naturam, ac si loqueretur: Quis enim ante me hac de re scripsit, quæ ego meis inuentionibus & experientiæ variæ tribuere possum, quibus adeptus fui, quod meos discipulos oportet imitari? Nemo suas itaq; laruas, i. sophisticationes, meis inuentis immisceat, quibus etiam spagyrorum priscorum errores non immeritò possum corrigere. Si horum experimenta meis præstantiora comperissem, quid opus erat mihi tantos impendere labores in perquirendo maiora? Postquam igitur subiectum & materiam artis apertè satis detexi, præparationem eius aggrediar. Sed priùs antiquorũ ponam experimenta, quibus & meas addam inuentiones, vt appareat quid & quantum per me huic arti postmodum accesserit. Spagyri veteres lili putrefecerũt vno mense philosophico, hoc est dieb. quadraginta, spiritus humidos postea destillarunt, i. aquam totam, & omnem liquorem abstraxerunt, idq; tantisper dum et sicci tandem eleuati sunt, hoc est, sublimati, & quæ sequuntur in textu clarissima. Iam Paracelsi correctionem audite, quam, quia obscurior est, explicabimus. Tã prolixo labore, tædiosáq; reiteratione spagyri veteres non indiguissent, si ex mea schola didicissent, i. ex eadẽ ex qua ego. Iam dicendum est quæ schola fuit, ex qua Paracelsus didicit. Eam sæpius ac sæpißimè nobis exponit, esse lucem naturæ, & non Academiam. Proinde vobis dico (Paracelsus inquit) rosei coloris tantùm à leone sanguinẽ accipite, & ex aquila gluten, hoc est: Leonis tincturam sumito, & resinam mineralẽ. siue mercurium

philosophorum: quæ duo lilia, postquam simul coniunxeris, iuxta veterum coagulato processum, vt infrà ponitur videlicet. Hac via tincturam (inquit) habebis philosophorum. Rectè probeq; me vt intelligas, leonem tuum in oriente quæras, hoc est, in Hungaria, vel in Histria, & aquilam ad meridiem, id est, in Cypro: verùm istud ex vnitate per dualitatem in trinitate, cum permutatione cuiusq; deducitur, hoc est, ab vno ex tribus composito duo trahuntur, sed partes eiusmodi priùs mundandæ sunt: illud autem fit compositione simplicium per alchymistam facta, corruptioneq; tantisper donec vnum fiat. Ista per se iam ita clara sunt, vt me pudeat latioris explicationis. Miror equidem si lectores adhuc de obscuritate conquesturi sunt, nam minimus initiatorum, qui vel tantillum exercitatus sit in adurendis ad hanc rem carbonibus, intelligere poterit, quæ iam exposui: vel alioqui se nondum vocatum à Deo, nec ad istam artem electum fateatur oportet, vsque dum intelligat. Non est quòd propterea despondeat animum, sed potiùs diligentiæ priori in operationibus addat calcaria maiora. Fuerunt olim excellentissimi viri qui iuuenes arti nauarunt operam, nec nisi valde senes facti voti compotes euaserunt, vt Bernardus Marchiæ Treuisanæ Comes Germanus, Dionysius Zacharius Gallus, & plærique alij literati viri, vt ab eorum operibus videre est. Multa detegit hominibus Deus arcana transmutationum alia, quæ non statim vnà cum sui manifestationibus in publicum erumpunt, quia cum reuelatione Deus & gratiam

tiam

tiam donat ea velandi hominibus indignis, vſque dum aduenerit Helias artiſta. Paracelſici de hoc Helia diſputant, quis nam ſit ille futurus. At non quid quærant alij me remorabitur, ſolùm quid verba ſonant authoris, attentiſsimum reddunt animum meum, non mihi tantùm quantum fratribus. Quo tempore (inquit) nihil tam occultum quod nō reuelabitur. Stupidum admodum ingenium oporteret eſſe, quod per iſta verba non intelligeret præcedentia. Quis ignorat hoc tempus non priùs aduenturum, nudiſsimæ reuelationis abditiſsimorum quorumq; videlicet, quàm veniat ille qui tacitas cogitationes hominum iudicaturus eſt, Ieſus Chriſtus? Eum vocat Paracelſus Heliam artiſtam, id eſt, omnium artium & arcanarum rerum primum fontem, & inexhauſtum. Si quis miretur ſcientias & artes omnes bonas nunquam ad tam ſublimem gradum peruenire, quin ſemper altiùs deueniant, & in eis indies noua quædam & inaudita reperiantur, conſideret ſolùm vnde manarint, & mirari tandem deſinat. Cùm enim ab æterno fonte verboq; Dei ſint, non habere terminum pariter, neque finem eſt neceſſe, niſi in æterno verbo Dei Filio, quem Heliam artiſtam agnoſcimus, reueremur, & adoramus. Accidit aliquando vt artes in obliuionem tranſeant, vel patiantur detrimentum, non propter ea finem habent in ſeipſis, at ſolùm reſpectu hominum, quibus in obliuionem abierunt, ab iſtis recedentes ad ſuum fontem perpetuum, à quo rurſum ad hos, vel alios ſuo tempore poſſunt refluere, dum vult qui velle poſſeq; ſolus habet. Ad phy-

ſicam tincturam rediens, veterum proceſſum reaſſumit his verbis: Poſtremò, inquit, ſpagyri veteres lili pellicanatum, id eſt circulariter motum, ignis ordinata, id eſt, iuxta ſuos gradus continuata quadam augmentatione, materiam ſuam tam diu fixarunt, id eſt, decoxerunt in exſiccationem, vſq; dum poſt omnes colores poſtremus aduenerit rubeus inſtar ſanguinis, qui ſalamandræ conditionem habeat, id eſt, in igne viuat eoq; delectetur, ignisq; fiat excellentiſsima proles. Recte quidem (inquit) ab eis proceſſum fuit, id eſt, hic poſtremus coagulandi materiam præparatam priùs modus, eſt is de quo ſuprà tibi dixi; Quæ poſtquam ſimul coniunxeris, iuxta veterem coagulato proceſſum. Clariùs (inquit) hunc tibi declarare poſſe, mihi difficillimum eſſet. Gradus tandem colorum ponens coruo putrefactionem deſignat, cygno per albedinem, ipſam calcinationem, & per ſanguinis rubedinem, operis finem & fixationem, quam vocant. Vtilitatem & vſum etiam duplicem ponit, ad metalla tranſmutanda prius: & poſterius ad inſtaurationem ſanitatis & vitam longam. Phyſicorum enim (inquit) nonnulli in AEgypto, per hanc tincturam annos centum & quinquaginta vixerunt: aliorum vita prolixior fuit hoc medio, Monarchiæ videlicet, vt ex hiſtorijs patet. Definitionem igitur pro concluſione ſuæ Monarchiæ ponens ait. Eſt itaque tinctura phyſicorum, ignis conſumens omnes morbos, non ſecus quàm elementaris ignis omne lignum abſumit: quapropter Medicina dicitur vniuerſalis, à qua, vel per quam Paracelſus ipſe ſeipſum Mon-

ar-

archam vocat, & non ab vniuersali mundano regno vel imperio, vt imperiti loquuntur. Huc se referunt ea quæ de vita longa dicta sunt, libro suo, tanquam ad scopum vnum instrumentalis medij. His paucis explicatam, Auroram boni consule, & vale.

FINIS.



DE MINERALIVM OECONOMIA THEOPHRASTI PARACELSI, CVM ARGVMENTIS ad ſingula capitula, vicem declarationum ſupplentibus.

Præfatio ad Lectorem.

QVanquã ordo videtur expetere priùs de generatione mineralium & metallorũ tractari, quàm de tranſmutationibus: attamen quia non dilucidiùs Theorica poteſt, quàm à ſua practica percipi, è re ſtudioſorum huius artis fore putaui, ſi ab opere primùm aggrediantur. Maximè quia Chimia nõ verbis, ſed elaboratis rebus duntaxat adimpletur, vt reliquæ omnes, quotquot in vſum & neceßitatem hominum veniunt artes, quarum etiam habitus vſu contrahitur magis, quàm vllis demonſtrationibus. Licet iſtæ plurimùm faciant in confirmationem eorum qui iam prouecti ſunt potiùs, quàm initiatorum: Iſtis tamen à principio maximè prodeſt, manum in paſtam (vt aiunt) mittere, ac ſenſim ab annotatis erroribus addiſcere. Siquidem abſq; his nemo vel facilli-

cillimam vnquam artē didicit. Pariter & Chimiam assequi nullus facilè poterit, qui priùs in ea non errarit sæpius, donec probè teneat. Item nunquam ingredi veram semitam continget, vsq; dum à deuio gressu gradum ad metam reuocet, erroresq; suos ab imitatione operum naturæ corrigat. Ab hac statim discere non ita facile fuerit, cùm deficiant obiecta chimica naturalibus comparanda. Proinde Chimiam artificialem naturali præmittere visum est, quò periclitantes in hoc opere, ad mineralē genealogiam, tanquam ad anchoram reuocemus. Quam etiam in hanc rem annectere chimicis, visum est opportunum atque necessarium.

DE GENERATIONE Mineralium.

CAP. I.

Arguit hoc primo capitulo priscos Physicos, quòd primam rerum naturalium non intellexissent materiam, ea de causa, quia non cognoscerent vltimam, à qua primā vult intelligi & indagari. Exemplum adfert medicinæ, in qua morbum ab exitu, id est, confirmato statu, suum initium patefacere docet. Non aliter creaturas vult, quàm à fine in quem

creatæ sunt, cognosci. Materiam vltimam ab igne cognoscendam, hunc etiam esse clauem omnia corpora naturalia reserantem asserit: Aquam esse matrem mineralium, fœtumq́; sibi dißimilem parere, sic & alia quæuis elementa: Deum in omnibus vnũ esse, & omnium pariter vnam esse primam & vltimam materiam.

CVm antiquorũ scripta de generatione mineralium accuratissimè perlegissem, deprehendi ipsos vltimam illorũ non intellexisse materiam, & per consequens multò minùs primam. Siquidem vt cuiusq; rei probè scribatur initium, finis apprimè debet innotescere. Primùm omnium igitur vltimã vobis materiam proponere decreui mineraliũ, vnde facilè primam intelligetis, ex qua ducunt originem. Exemplum priùs adducamus ex medicina, qua morbus ab exitu cognoscẽdus, & nõ ab initio in quo nulla scientia, quòd per cæcitatem introductum sit, etiam cęcum esse oporteat; finis verò visibilis ab exitu, ad quem tendere percipitur tanquã ad scopum sibi propositum. Proinde res omnis meliùs cognosci nõ potest, quàm dum optimè scitur in quem finẽ à Deo creata sit; alioqui facilè continget, vt eius creaturæ Dei verus vsus in abusum abeat. Quicunq; igitur opus aliquod ex aliquo suscipit, hoc ipsum ex quo, radicitus cognoscat oportet,

portet, vt ex præſcripto Dei perficiat ordine, ne propter materiæ non perfectam cognitionem, aut quandoq; nullam, ſecus eueniat, ac diaboli potiùs opus efficiatur ex abuſu materiæ, & inſtrumentorũ. In rude ſatis exemplum ſit: quid ſecuris vel dolabra, lignumq́; vel alia materia quæuis, in manu his vti neſciẽtis prodeſt, alioq́; tendere poſſunt, quàm in iſtorum vaſtationem? is autem in manus aſſumere poteſt ac debet, qui nouit ex inſtrumentis & materia licitum & honeſtũ opus fabricare, quod cedat in vtilitatem proximi, ſeruata in ſuum vſum, ad quem à Deo data fuit materia. Deus enim omne quod creauit, hoc ipſum etiã eum habere poſsidereq́; voluit, cui verã vſus eiuſdẽ rei noticiam dedit: huic applicare ſe debet omnis qui ſe vocatũ ad id in propria conſciẽtia percipit, hoc pariter addiſcere, nõ alienũ quid vſurpare phantaſticum à diabolo ſuggeſtum. Rerum autem vltimã diſcito materiam ac primã ab igne: hic enim vt clauis arcã reſerat, ille quoduis occultũ in q̊uis manifeſtũ facit. Eſt igitur hoc loco rerũ vltima ſua materia, in quã per ignẽ ſunt omnino reſoluta, vt tandẽ inter tria vniuerſalia prima, de quib. varijs locis diſſerui, primũ ac prædominãs cognoſcatur. Exemplo ſit metallum igne diſſolutum, primũ ſtatim initium ſuũ patefacit eſſe mercurialem aquã, & nõ ſulphur, quoniã eius reſolutio nõ

flagrat resinarum instar: demonstratur etiam non esse sal, quia resolutionis eius primum indicium non est friatio præter liquationem & flagrationem, quemadmodum terrenorum & lapidum esse videtur. Habet nihilominus omne metallum in se sulphur & sal, sed principem locum in eo tenet mercurius. sic de cæteris mineralibus. Verùm ita visum est Deo creare aquam elementum, & indies ex eo produci mineralia quæuis ad vsum hominum, vt mater esset illorum, in qua tanquam in sua matrice mineralis ignis, similiaq; sal & mercurius, coquerentur in metalla, lapides, ac mineralem omnem substantiam, etsi fœtus matri dissimilis existat: ad hunc modum Altissimus cuncta creauit in sua natura, vt ad aliud aues in aëre, quàm pisces in aquis: sic de reliquis omnibus, quæ diuinæ suæ voluntati solùm committenda sunt, qui facit omnia vt sunt, esseq; voluit ab æterno, quæ facit. Vt igitur aqua metallico suo fœtui non est similis, neque filius matri, nō aliter ipsa terra lignum est, & non lignum quod ex ipsa tamen est: eadem ratione lapis & ferrum fiunt ex aqua, quæ talis fit aqua, qualis & quæ ipsamet non existit; terra similiter fit id quod ipsa in se nō est: sic & hominem oportet fieri, quod ipsemet non existit. In summa, quicquid in suam vltimam materiam transire debet, aliud oportet

tet fieri, quàm fuit eius principium quoduis in ſuo genere varium atque diuerſum, etiam ex vna matre. Sic Deus in omnibus vnus eſſe voluit, item vnam eſſe omnium primam & vltimam materiam; talis eſt, ac tam admirandus rerum primus artifex, qualis nunquam fuit antea, nec vnquam futurus eſt alius. Vt autem de matre mineralium aqua videlicet audiſtis adhuc, in ſequentibus docebimus ampliùs, malè, perperam quoq; ſcripſiſſe veteres illam eſſe terram, quod nondum verè demonſtraſſe potuerunt.

De vltima & prima materia mineralium.

CAP. II.

Vltimam materiam fuiſſe primum principium apud Deum, qui fecit eam eſſe primam, hoc eſt, vltimæ materiæ ſemen indidit, quod ſemen eſt materia prima, ſecundo capitulo docetur. Semen omnium mineralium & metallorum eſſe in aqua, quod vltimam producit in terra materiam eorum. Aquam eſſe matrem, ſemen, & radicem arboris mineralium, habere ſua tempora meßis vel autumni cum reliquis, vt alia naturæ producta: Vltimam naturæ materiā eſſe hominis primam, vt verificetur quod antea dictum, vbi naturæ deſinit opificium, artem hominis incipere, &c.

PRimum principium apud Deum fuit vltima materia, quam ipse primam effecit, vt fructum, qui alium fructum produceret: Illa ipsa habet semen: hoc semen est in prima materia. In vltima similiter mineralium materia facta est materia prima, id est in semen facta, quod semen est elementum aquæ, quod resoluit, vt sit aqua. Ad hoc naturæ commisit, vel ordinauit in ea, vt materiam vltimam produceret, ea quidem est in aqua. Sumit ergo natura quod est in aqua sub sua potestate ac separatione, quodque ad metallum pertinet, segregat in metallum quodlibet per se; sic de gemmis, lapidibus, magnete, idque genus alijs in sua natura quodque seorsim & in sua specie. Quemadmodum enim Deus tritico suum tempus in messem ordinauit, autumnum bellarijs, ac similibus in suis elementis, haud secus elemento aquæ voluit esse proprium suæ messis tempus & autumni: quibuscunque quoque rebus alijs in suo genere sua præfixit fructuum collectionis tempora. Est itaq; elementum aquæ mater, semen, & radix mineralium omnium, & Archeus in ipsa est is qui singula disponit ordine quodã, vt vnumquodq; deueniat in vltimam suam materiam naturalem, quam tandem homo recipit in primam suam materiam artificialem, id est: Vbi natura desinit, ibidem ars hominis incipit;

per aquam intelligit quintam essentiam

pit; nam illius vltima materia hominis eſt prima: rurſus corruptio naturæ per artem, hominis eſt vltima materia. Tam admirando creauit opificio Deus primam naturæ materiam aquam, adeò mollem ſubſtantiam atque debilem, & ex ea tamẽ fructum ſolidiſsimum metallum, lapides, &c. vt ex molliſsimo duriſſimum, & ex aqua ignis proueniat ſupra captum intellectus humani, non tamen ſupra naturam. Etenim Deus admirabiles fœtus creauit ex ea matre, vt apparet in hominibus ſi conſpiciantur etiam in ſua matre, quiſque reperietur peculiaris ingenio proprietateque, non iuxta corpus, at pro ſua conditione complexionis.

CAP. III.

De agro, radicibus & arboribus mineralium.

Elementum Aquam eſſe velut agrum, in quo ſemina mineralium per aſtra ſata, radicem figunt arborum ſuarum, quarum trunci ramiq́; protruduntur in terrã, aſſeuerat autor hoc loco. Separatam à reliquis tribus, vt per ſe liberum eſſet corpus in terra centrum habens, in quo fundetur; terrámque deferat velut nauim ipſa, vt iſta hominem. A terra non ſuſtentari, ſed hanc ab illa, ſuper quam aquam eſt fundata. Metallorum & mineraliũ arbores, ha-

bere ſuas radices in aqua, trũcos in terra fructusq́;: vegetabiles autem in terra ſuas radices, & truncos in aëre. Erraſſe veteres, qui metalla ſcribunt ex terra generari, cùm ex iſta nil niſi lignũ producatur.

CReauit altiſsimus elementum aquæ, vt eſſet velut ager, in quo radices arborum mineralium ex ſuis ſeminibus ortæ figerétur, ac inde truncus & rami protruderentur in terram, vt infrà latiùs. Separauit igitur à reliquis tribus, vt non in aëre, non in terra, neque in cœlo, ſed per ſe liberum corpus exiſteret in inferiori globulo poſitum, vt ſit ſupra terram, & in iſta centrum habeat in quo fundatum eſt, tam admirando creatum ordine, vt vnà cum terra hominem deferre debeat, vt ſuper aquã velut in aliqua naui geſtatus ambulet, eáque potiatur: item quod mirabilius, circum globulum quaquauerſum lata non decidit extra ſuos limites, etſi pars antipodum pendere nobis videatur, & illis noſtra, nihilominus vtraque ſupina iacet, ac tota ſphæræ ſuæ ſuperficies, vbiuis locorum conſideretur, vt ſi fouea quæpiam imaginetur perpendiculariter in abyſſum ſuæ profunditatis & exaltationis ſui centri, fundum non inueniat, nec etiam à terra ſuſtentatur, ſed longè mirabiliùs, quàm ouum in ſuo cortice, quo caret omni, continetur. Generationes igitur omnium mine-

ralium

ralium ex elemento aquæ protruduntur in terram, quemadmodum ex elemento terræ fructus omnes in aërem, vt in terra nihil præter ipſam radicem maneat: non ſecus metalla cuncta, ſal, gemmæ, lapides, talcum, marcaſitæ, ſulphura, & ſimilia quæuis, ex ſua matre aqua in aliam matrem ſubintrant nempe terram, in qua perficitur arborum ſuarum operatio, radicibus in aqua defixis. Vt etiam quæ naſcuntur ex radicibus terræ, perficiuntur in aëre, pariter & quæ in aquis originem ducunt, in terra prorſum adimplentur per naturam in ſuam vltimam, (vt illa) materiam. Hac opinione ſeducti veteres, quòd viderent in terra metalla reperiri, non vlteriùs animo progreſsi, tam enormiter de mineralibus ſcribentes errare non putarunt; cùm tamen ex terra nihil aliud creſcat præter lignum, frondes, flores, fructus, & herbas: quod reliquum eſt, ex aqua naſcitur. Non aliter fabulari contingeret ac ineptè loqui eum, quicunque aſſereret producta terræ ex aëre ſumpſiſſe originem, quia in iſto ſunt ac perficiuntur, cùm radices in terra videat. In aquis verò mineralium radices carneis quia non vidit oculis, etiam nugabitur iſtas in terra defixas. Talis eſt Græcorũ Phyſica, ſcilicet ex manifeſto ſolùm deducta, nihil occulti videns mentaliter ab experimento. Figmentum eſt otioſorum ho-

minum de rebus naturalibus ex oculo garrire duntaxat præſumentium, & non operari vt examinentur occulta ſub manifeſtis, quæ ſemper & in omnibus oppoſita ſunt.

CAP. IIII.

De fructibus & meſſe mineralium.

Mineralia metallaq́; ſuam in terra meſſem habere autumno ſuo, nō ſecus atq; vegetabilia ſupra terram, & in aere, docetur hoc loco. Fructus mineralium, vt vegetabilium, ſuis cum naſci corticibus aliquos, alios verò nudos. A corticibus externè cognoſci poſſe fructus vtroſq;. Corpus tribuere mineralibus aqueum ſpiritum. Purum cum impuro naſci corpore, à quo ſeparandum aureum corpus, tanquam à ſuo cortice fructū. Puros ſpiritus & corpus inſeparabilia eſſe: homini quoque duo contigiſſe corpora, corruptum vnum, alterum incorruptum, propter coniunctionem æterni cum creato, per imaginem Dei, quæ duo dicta in reliquis creaturis non coniungit, ſed ſola virtus eius.

HAud aliter quàm terræ fructus omnes ſuper terram, & in aëre ſuam meſſem & autumnum habent in ſua generatione, iuxta prædeſtinatum terminum, aquei fructus, mineralia videlicet, ſuo leguntur maturitatis tem-

ex aqua mineralia generantur

tempore. Germinante siquidem radice minerali primùm, exurgunt in suum truncum & arborem, id est in corpus ex quo mineralia vel metalla tandem producuntur; quemadmodum nux aut cerasum non immediatè nascitur ex terra, sed primò arbor, ex qua demum fructus generatur; natura similiter in elemento aqua mineralem edit arborem, id est corpus aqueum: ista nascitur in terra, hoc est, terræ poros replet, quemadmodum aërem implet ipsa terra. Ex ea demum fructus enascuntur iuxta naturam atque proprietatem suę speciei; ad extremitates ramorum, copiosiùs parciúsve, vt in euidentib. contingere solet superficialibus arboribus. Quærenda primùm est igitur arbor aquea, tandem fructus eius; disciplina per exemplum ab agricultura terræ non ineptè sumpta, ad hunc nempe modum. Nonnullæ visibilium arborum suos fructus contectos edunt, vti castaneas nuces sub spinoso cortice, iuglandes sub amaro viridi, & sub isto contegitur ligneus, sub quo rursum amara membrana, tandem sub ista nucleus. Itidem in mineralib9 euenit, quorum nuclei, metalla videlicet, à suis corticibus, vt illi, separanda sunt. Aliæ nudos fructus proferunt, vt sunt pruna, cerasa, pyra, poma, racemi, &c. à quibus nihil separatur; aqueæ similiter aliquot arbores aurum suum, argentum, coral-

la, & id genus alia metalla producunt libera nudaque, iuxta conditionem atque naturam aquę. Vt etiam à cortice cognosci potest, quid in vel sub ipso latet, vti spiritus à suo corpore; non secus in mineralibus cognoscitur metalli spiritus occultus sub suo corporeo minerali sive cortice. Spiritus autem aquei elementi corpus efficit, aliud tamen in minerali, in fructu item aliud. Quamuis igitur aurum in corpore minerali sit, nihilominus illud corpus est nullius momenti, quapropter venit ab auro separandum vt impurum, at auri corpus est purum. Sunt igitur in minerali duo corpora, quorum vnum est fructus corpus auri purum, cui spiritus eius incorporatus est inseparabilis. Fructus itaq; primùm ab elemento in arborem introducuntur vti spiritus in corpus impurum, & cum isto demum in terram, nobile purumq;. Idipsum videtur in homine, cui duo corpora contigerunt, corruptum vnum, alterum verò incorruptum, quod cum isto sit æternum coniunctum, imago Dei videlicet, propter quam potissimùm differt ab omnibus alijs creaturis.

CAP. V.

De morte elementorum, & præsertim aquæ.

Elementa sui ipsorum esse mortem in seipsis, propria sua

sua corruptione, demonstratur, à fluminibus ortum & interitum in magno suo termino, mari nimirum, sumentibus. Flumina non esse elementum aquæ, sed fructus elementi maris.

MOriuntur etiam elementa propter corruptionem (quemadmodum & homines) in seipsis. Vt aqua quæ suimetipsius mors existit, proprios fructus siquidem ipsa deuorat ac absumit, non secus ac terra suos. Quicquid enim ex ista nascitur, iterum in eam rediens absorptum euanescit, instar temporis præteriti per hesternas dies & noctes abeuntis, quarum lucem vel tenebras videre nunquam licet ampliùs: nec propterea ponderosior hodie quàm heri, vel drachmula facta, post annos mille sub eodem pondere semper, vt edit, absumit etiam æqualiter. Mors autem aquæ est in ipsius proprio elemento, in magno termino & aquę centro mari videlicet, in quo fluuij omnium aquarum & quicquid in ipsum defluit, moritur & consumitur, velut ab igne lignum. Flumina siquidem non sunt elementum aquæ, sed fructus eius elementi nempe maris, à quo ducunt originem, & in quo vitam & mortem accipiunt.

CAP. VI.

De morte arboris mineralium.

Quod ex elementis nascitur, simile non esse suis parentibus docetur. Mineralium arborum ramos, per terræ globum in diuersa dispergi, non secus atque in humano corpore venas per membra diuersa, sic & illi per varias regiones. Ab ortu fructuum mineralium, arbores minerales mori, ac alias recentes enasci. Materiam primam mineralium in aqua contineri, vt in aliquo sacco semina diuersa. Per meditatiuas contemplationes admirandorum operum Dei, summi conditoris, virtutumq; suarum cognitionem adeptam philosophiam oriri. Semen Græcum, esse lolium à Satana satum in agrum veræ sapientiæ, quo lucem eius obtenebraret, ab eo tempore quo Sophiæ nomen in philosophiam peruertit.

POstquam natura mineralem radicem arboris in centro suæ matricis plantauerit, siue ad metallum producendum lapidem, gemmam, sal, alumen, vitriolum, fontem salsum, dulcē, frigidum aut calidum, corallum, siue marcasitam, & eius truncum in terram protruserit, hic per diuersos ramos spargitur, quorum substantiæ forma, ramorũ, atq; caudicis,

dicis, liquor eſt non in modum aquæ, nõ olei, non luti, neq; muſcilaginis, aut non aliter intelligẽdus, quàm de ligno ex terra nato, quod nõ eſt terra, nihilominus ortum ex ea. Extenduntur ad hunc vtiq; modum, vt ramus ab alio diſtet interuallo duorum triúmve climatum, totidemq́; regionum: à Germania nonnunquã in Hungariam & vltra: variarũ ſunt arborum eiuſmodi rami per totam terræ ſphæram implicati, tanquam in humano corpore venæ diſtẽduntur in diuerſa membra à ſe mutuò diſtantia. Fructus verò per extremitates locuſtarum ab vltimæ natura materiæ protruſi, mox atq; in terram deueniunt, momentanea fit ipſorum coagulatio, tum demum expulſo toto fructu ſuo moritur hæc arbor; exiccationeq; prorſum abſumitur in terra ſuo fœtu relicto, poſtmodũ iuxta naturæ conditionem adeſt alia recens. Mineralium itaq; materia prima conſiſtit in aqua, eſtq́; ſolùm in ea ſulphur, ſal, & mercurius mineralia, quæ ſpiritus & anima ſunt eiuſdem elementi, cõtinentes in ſe omnia mineralia, metalla, gẽmas, ſalia, cæteraq; id genus alia, tanquam in ſacco ſemina diuerſa, quæ in aquas effuſa natura deinceps quodque ſemen ad ſuum proprium finalemq́ue fructum dirigit, ac indefeſsè diſponit iuxta ſuas ſpecies atque genera. Hæc & ſimilia prodeunt ex vera Phyſica, veræque

philosophiæ fontibus, ex quibus, per admirandorum operum Dei meditatiuas contemplationes, oritur summi conditoris eiusque virtutum germana cognitio, in philosophantium animis oculisque mentalibus, non minùs quàm carneis manifesta lux apparet, illis occulta fit manifesta. Sed Græcus ille Satan in philosophicum agrum veræ sapientiæ, lolium falsumque suum semen inseuit Aristotelem, Albertum, Auicennam, Rasim, idque genus hominum inimicorum Dei lucis, atque naturæ, qui totam physicam sapientiam peruerterunt, ab eo tempore quo Sophiæ nomen in Philosophiam transmutarunt.

CAP. VII.

De variatione primæ materiæ mineralium, pro diuersitate specierum & indiuiduorum eius, deq; varijs coloribus, &c.

Mineralium trium primorum esse magnam varietatem, sub vniuersali natura trium primorum, in suo generalißimo genere nihilominus comprehendi, ac subijci. Sal naturæ colores omnes exhibere, balsamum rebus & coagulationes: Sulphur corporum ædificationem in substantia: Mercurium habere virtutes & arcana medicinæ: His omnibus & in vniuersum

uersum tribuere vitam, & esse, quod esse voluit ab æterno, Deum solum. Physices verǽli brum, & academiam, siue scholam esse naturæ lucē in suis produ ctis & operationibus euidentissimam: hanc solam Paracelso fuisse præceptorem atq; doctorem, quæ viam ei commonstrauit ad sublimia. Post Paracelsum venturum suæ scholæ discipulum, (vt ipsemet fatetur) qui multò plura quàm ipse propalaturus sit.

DIximus antea materiam primam in sua matre tanquam in sacco quopiam existere, compositamque ex tribus in vnum concurrentibus. Verùm tot sunt mercurij varietates, salis atq; sulphuris, quot fructus & quàm varij sunt in mineralibus. Aliud enim sulphur habetur in plumbo, ferro, auro, &c. in saphiro, gemmis, alijsq; lapidibus, marcasitis, atq; salibus, item aliud sal in metallis, salibus, &c. similiter de mercurio iudicandum, alium in gemmis, alium in metallis existere. Præterea pro horum compositione diuersa reperiuntur indiuidua sub eadem specie: nam aurū quandoque reperitur aliud altero grauius, coloratius: sic de reliquis. Proinde tot sulphura sunt auri, salia, & mercurij diuersitates auri ac aliorum, quot gradus maiores atque minores, nihilominus omne quod particularitatem in ipsis recipit ex subiecto, sub vniuersalitate sem-

per continetur vnius & eiusdem sulphuris, salis, & mercurij in vniuersali naturæ mysterialiter comprehensorum. Ad hæc natura pictori cuipiam similitudine cõparari posset, qui ex nonnullis paucisq; coloribus infinitas imagines fingit, nullam alteri similem omnino, hoc solo differunt, quòd natura viuas producit, ille verò hanc imitatus, easdem repræsentat oculo, sed mortuas. Colores autem naturales omnes proueniunt ex sale naturæ, in quo consistũt, vnà cum balsamo rerũ & coagulatione: Sulphur exhibet corporum substantiam, & ædificationem: Mercurius verò virtutes & arcana: solus Deus vitam tribuit omnibus, vt ex vnoquoque fiat, quod inde fieri prædestinarat ab æterno, quod & in quo sibi complacuit voluitq; sic esse omnia. Quicunq; igitur corpora naturaliũ volet cognoscere, discat à sulphure naturali, quod in primis optimè cognitũ habeat; si colores naturales, fundamentũ ex sale quęrat: si autem virtutes rerum scire desiderabit, arcana scrutatur eiusdẽ rei mercurij, cuius vires cognoscere cupit, oportet. Hæc omnia simul in vnum cõplectitur ipsa natura, separat, vnicuiq; suum distribuit, aufert, coloresq; delet. Considerate quæso tantillum seminis granum, nigri, vel spadicei coloris, ex quo nascitur ingens arbor, producens tam admirandum in frondibus virorem, in floribus tam

varios

varios colores, & ſapores in fructibus pro multitudine tam diuerſos, idipſum in reliquis omnibus productis à natura, hanc in ſuis myſterijs tam admirandam, ac opulentam reperies, vt ſatis habeas quod per totam vitam in hoc libro ſolo phyſices addiſcas, omni relicta papyro. Si Deus igitur per naturam ſe nobis cernendum tam potentem, tamq; ſapientem præbet, quàm abunde glorioſiorem ſe menti noſtræ per ſanctiſsimum Spiritum ſuum patefaciet, modò quæramus eum. Hæc eſt via ſalutis quæ ducit ab inferioribus ad ſublimiora, hoc eſt in vijs Domini ambulare, videlicet in admirandis eius operibus verſari, & voluntatem ſuam, quantum in nobis eſt, eſſeq; debet ac poteſt, exequi. Hæc mihi (Paracelſus inquit) Academia fuit, non Athenæ, Pariſij, nec Lutoſa, Toloſaque minùs, aut Doloſa quæuis alia ſchola; poſtquā doloſos multos legiſſem doctorum libros, ad hunc ſolum me contuli, ex quo didici omnia quæ ſcribo ſcioque vera, ac ita ſe habere. Fateor tamen eſſe longè plura quæ ignoro, ſuo tempore tamē emerſura, Deo dante. Nihil enim tam occultum, quod non reuelabitur, quum volet omnipotens. Hoc ſcio tamen, poſt me venturum vnum iſtius ſcholæ diſcipulum, qui nōdum viuit, hic multa patefaciet.

CAP. VIII.

De naturali diſpenſatore mineralium, & ſubminiſtris eius.

Archeum ſolum eſſe miniſtrum naturæ, qui ſubminiſtros habet ſolos, tria prima ſua principia, nos docere, Paracelſus innuit ab opere naturæ quod imitari nos docet, inquiens: Hæc omnia ſimul in vnum congeſta, &c. vt in textu. Sulphur eſſe materiam corpoream, id eſt, ſolidam: liquidam eſſe mercurium, in quo caro decoquitur ſulphurea. Sal eſſe horum condimentum, & confirmatorem operis, ſiue conſummatorem, vt in autumnum deueniat: eſtote vos meſſores atque fabri, ſi poteſtis. Iam de ſingulis in ſpecie tractatur in ſequentibus.

QVemadmodum in mineralium artificio per homines, ad ipſa cùm præparandum, tum in vſum adducendum, non vnus tantùm, ſed plures ſucceſsiuè requiruntur, eorum tamen vnuſquiſque peculiare donum habet officij. Quid enim prodeſt minera è terræ viſceribus eruta, præter ſuum ſeparatorem, præparatorem, aut liquefactorem? quid hic rurſum abſque fabro? nihil item iſte poteſt abſque aliquo emptore, nec iſte præter eum qui metalla nouit in vſum adaptare. His omnibus non indiget ipſa natura, ſed ſuis tantùm,

vt

vt ſunt primò diſpenſator mineralium Archeus, qui miniſtros ſub ſe, naturæ miniſter ipſe hos habet, primum, qui corpoream exhibet materiam in quam cadat operatio, videlicet ſulphur minerale huius aut alterius conditionis atq; naturæ: ſecundum, qui proprietates ac virtutes fabricet ac operetur in præiacentem materiam, vtputà Mercurium: tertium verò, qui per compactionem & coagulationem ſingula ſimul coadunet in vnum corpus, Sal nempe confirmatorem operis. Hæc omnia ſimul in vnum congeſta, & in Athanore ſuo concluſa decoquit Archeus non aliter quàm in terra ſemen, necdum in iſta ſolùm, verùm etiam inter ſe mutuò decoquuntur ad hunc modum. Sulphur alijs duobus ſubdit corpus ſuum, in quod operentur quicquid volent, ac ad eum finē perducāt, cui deſtinatum eſt id, quod inde fieri debet. Accedit Mercurius cum ſuarum virtutum proprietatibus, hic decoquitur ex alijs duobus. Eiuſmodi decoctionibus adimpletis omnium, tum demum incipit operari ſal in alios ſibi conſocios, & in ſeipſum, primò condenſando, poſtea congelando, & poſtremò coagulando confirmat opus ad autumnum ſuum, & meſſem, vt nihil deſit præter meſſorem & fabrum. Breuibus igitur totam mineralium genealogiam perſtrinximus, reliquum erit, vt ſingu-

lorum vires atq; virtutes, cùm ad Alchymiam, tum ad Medicinam peculiariter ac breuiter etiam audiamus, quantũ de his cognoſci oportet ad ſuprà dictas facultates. Admonitos interea lectores velim, vt tantiſper aliorum corruptè nimiùm de his & per ſomnia duntaxat fabulantium ſeorſim ponant opiniones, donec iſtos videant ſola papyro, & non natura doctos, à ſibi ſimilibus, & eadem minerua literatè non expertè doctis exiſtimari ſolùm, alijs verò tales quales etiam ſunt apparere. Sin minùs videre velint, reſumere poterunt quod eos adhuc ponere volebam, vt ſaltem abſque perturbatione tenebrarum mortis, vitæ naturæ lucem faciliùs ac ſinceriùs perciperent. A primis itaq; mineralium principijs incipientes (quæ ſalia ſunt) per ſingula diſcurremus in finem vſq;, metallum videlicet.

CAP. IX.

De virtutibus atq; proprietatibus ſalium in Alchymia & Medicina.

Balſamum naturæ ſal eſſe naturale, ſine quo viuere homo nequeat, oſtenditur. Hoc impedire corruptionem calidi ſulphurei, cum humido mercuriali naſcibilẽ. Salis nutritiui tria potiſſimùm eſſe genera ſanitati conducentia. Salia iuuare concoctionem

in ſto-

in stomacho, vt sine quibus fieri nequeat, nec egestio. Insulsum à sanguine minimè recipi nutrimentum. Oppilationum resolutiuam inesse sali facultatem, & hanc esse sal cruoris, id est, sal ex sale naturali, microcosmico sali coniunctum. Sal gemmeum in medicina aptissimum esse, ad salis expulsionem.

EO necessitatis hominem adducere per naturam voluit O.D.M. vt absq; sale naturali viuere naturaliter nequeat. Proinde hoc opus habet in omnib. cibis. Etenim sal naturæ balsamum est, quod corruptionem arcet calidi sulphuris cum humido mercurio, ex quibus homo naturalis cõpactus est. Cùm autem oporteat ista prima conditi condentia, quodque sibi simili nutriri, necessariò sequitur hominem vti debere cibis ardentib. ad sustentationem sui sulphuris interni: humidis ad mercurium nutriendũ, itẽ salsis ad sal in condenti facultate conseruãdum. Virtus eius conseruationis in eo maximè conspicitur, dum carnes emortuas à putredine diutissimè conseruat, quãtò magis viuas preseruabit, iudicare facile fuerit? Vt ad eius genera tandem veniamus, tria potissimũ habentur ad vsum vitæ hominis idonea. Primum horũ est sal marinũ, secundum est fontanũ, tertiũ verò minerale. Maximè conducens sanitati fontanum est, secun-

do loco minerale, postremò verò marinum: hoc & primum excoquuntur arte, reliquum autem à natura sola coctum est. Hoc & marinum sub muriæ natura non comprehenduntur, at illud quod excoctum est, in eam primùm vertitur priusquam separatum sit ab aqua in sal coagulatum. Duæ sunt igitur nobis proponendæ salis descriptiones, vna de muria, altera verò de integrè finito sale. Primò tamen omnium, consideranda venit communis quædam cuilibet sali correctionis conditio, ad hunc modum. Vbicumque sal non interuenerit cibis, in his etiam nulla correctio, quos quidem si stomach9 receperit, decoquere minimè potest; nam ex sale virtus est expulsiua, in secessum vel in vrinam; quæ duo nisi conseruentur in ordinato suo cursu motúve naturali, frustrata sunt omnia vitæ facultatum officia suis conatibus atq; viribus expulsionis. Etenim sanguis natura propria salsus, insulsum non recipit nutrimentũ, quod fortè si recipere quandoq; sit coactus maxima quadam inedia, hoc in corruptionem abit. Vt igitur euitetur hoc vitium, ordinatum fuit alimẽtarijs cibis sal addititium, ne meatus naturales obstruantur, membráque suis debitis fraudentur nutrimentis. Præterea latet in sale resolutiua quædam facultas, oppilationes in poris accidentaliter contingentes aperiendi,

ac per resolutioné in vrinam expellédi. Nam vrina cùm sit sal cruoris tantùm, id est, sal duntaxat ex sale naturali, quod naturale cum sale microcosmico associatum per coniunctioné, simul ambo maximè faciunt ad expulsionem excrementorũ. Verùm enimuero coniunctio naturalis hæc, haudquaquã probè fieri potest, nisi per iustam quantitaté vsus alimétarij salis temperetur, alioqui facilè per oppilationem alicubi consistunt, hærentq;. Quapropter cuiuis medico scitu dignissimum, sali vtiq; medicinæ ius suum inesse, præsertim vbi naturale sal expurgari cupit, vt salis paulò copiosiorem vsum præscribat, maximè gemmei, qui præ cæteris omnibus facultates habet naturale hoc sal exire moliens, expellédi. Spirituum igitur salis in tribus iam allegatis specieb. operationes diligentissimè sunt obseruandę per vsum, qui nedum in his, at in alijs omnibus oculos magis aperit quã litera quæuis, vel descriptio.

CAP. X.

De muria.

Muriam docet capitulum hoc, esse præstãtissimam, ad superfluas morborum exsiccãdas humiditates, vti podagræ, hydropisis, ac vlcerum. Obesis tantùm prodesse balneationibus, &c.

NVperrimè duarum salis descriptionũ feci mentionem, murię videlicet, atq; sicci salis. De muria primum est quod sciatur, huic inesse vires maximas exiccandi quascunq; superfluas humiditates, imò plus vna hora quã siccum sal vno mense valeat; quamuis etiam istud reductum sit in muriam, non tamen potest vnquam præstare quod naturalis, vtpote humidam curare podagrã, hydropisin, humidosq; tibiarum quoscunq; tumores, aliosq;, ac summatim leprosos liquores non naturales consumere, si postquam à calore suo temperata fuerit, vt æger insidere, tanquam balneo queat absq; læsione. Muriæ perfectionis experimentũ ouo in ipsam iniecto fit supernatante. Animaduertendum tamen est, eiusmodi balneum non nisi obesis natura proficuũ esse corporibus, macie tamen attenuatis à natura, minimè consulẽdum, quòd nimiùm exiccet. Si fortè post vnam aut alteram balneationem redirẽt humores, in ijs locis commorari, quibus muriarũ & salis eiusmodi fiunt decoctiones, consultissimum erit.

CAP. XI.

De sale sicco.

Siccum sal permistum sulphuri, docetur hîc vulnera quæuis à corruptione tueri vermium, & muriam natu-

naturali similem confici, cum vrinæ sale, & sicco. Ex sale fieri solutiuum auri liquorem in oleum poculentum, & arcanum aurifabris alijsq; ad inaurandum vtilißimum. Deinceps ad metallis conciliandam ductibilem conditionem cimentationibus, est sal maximè idoneum.

SIccorum salium sunt variæ species, vti communium cibariorum, gemmeorum, lapideorum, terrenorum, & per conos congelatorum, quorum omnium communium notato virtutem. Quodlibet istorum admixtum sulphuri ac vulnerib. applicatum, cùm in emplastri modum, tum in lotionem, illa tuetur à vermibus, quos etiã iam antea innatos pellit, vt non nascantur amplius. Etenim sola mundatione media, natura per se nullo alio interueniẽte medicamẽto sanat vulnera, nisi venenata cõplexio quępiã sit obstaculo, quominùs liberè naturale balsamũ operari queat. In eiusmodi salibus etiam vlcerum cura non exigua consistit, scabierum omniũ ac similiũ, si resoluãtur in balneis; muriæ vires tamẽ longè sunt potentiores, quæ salib. etiam in ipsa dissolutis adaugeri possunt ad externa multa vitia curandum, alopeciã, & id genus alia, maximè si salia hæc per additionẽ correcta sint, aut virib. aucta ad hunc modum videlicet: Salis sicci, & salis vrinæ ana quantũ voles duab. horis vnà

calcinentur, & postmodum resoluantur muria, vel per se humido frigidoq; loco, muriam exhibebūt artificialem paulò minus validam naturali, in chirurgicalibus extrinsecis curis, verùm in alijs vt intrinsecis lōgè debiliorem. Salia quę dicta sunt, in nullis alijs rebus inuenientur vnquam, etsi decoquatur ex istis alcali: hoc non est simile sal antea narratis, sed alcali rerum naturale sal corporeúmve dicitur, quod à salibus nutrimentorum alitur in humano corpore, vel à præcedentib. siccis etiam, & maximè nutritiuis. Ad Alchymiam verò fit aqua salis ex eiusmodi salibus calcinatis in spiritum prolecta, quo soluitur aurum in oleum, ac ab eo separatur, vt maneat optimum ac potabile, vel poculentum aurum. Antequam ad finalem istam executionem deueniat, nihilominus vt audiuimus resolutum, aurifabris ad argentum, & ferrarijs fabris ad ferrum inauranda, præclarum est artificium, constansque thesaurus, modò per chimicam artem illud præparare norint. Notandum etiam de puro sale per naturam solam congelato, vel in conos, vel in sal gemmæ, hoc ad argenti cimentationes communes maximè congruere, malleabile metallum reddit præter cōsuetas ignitiones. Idipsum efficit in cupro per cimentum in regulum adducto.

CAP.

CAP. XII.

De ſale nitro.

Compoſitio prima ſalis nitri, fit in corporibus animalium, & per vrinam egeſtum decoquitur in terra, vnde poſtmodum elixatur. Acerrimum eſt & multæ efficaciæ, vt apparet in compoſitione cum ſulphure, fulgur exhibere hîc in terris videlicet. Secūdum genus generatur in terra per ſe, ex rerum naturalium reſolutarum ſale, rurſum in terram reuertente à qua decoquitur, & per petras cauernarū ſubterranearum in conorum formam decolat, vnde nomen habet ſalis petræ: intra corpus neutrum tutò fuerit vſurpandum ob acrimoniam.

EST & aliud ſalis genus quod nitrum dicitur, compoſitum naturaliter ex naturali corporum animaliū ſale, & ſalibus nutrimenti ſimul in corpore coniunctis, à quo iam vnū ex duobus facto ſuperfluitas in vrinam decocta & in terram decidens coquitur iterum ſuo tempore, magis ac magis vniuntur, vt inde ſal vnicum atq; perfectum reſultet, chimiſticā ſeparatione per decoctionem artificialem à ſua terra, in conos vel glebas apparens manifeſtè clarum & perſpicuū: ſi bene ſeparetur à ſuperfluo ſale nutrimenti nondum ab animali concoctione digeſto, quum in vrinam expellere-

tur. In Alchymia præſertim huius vſus eſt frequentiſsimus. Recenſere ſuperuacaneum foret, quantam in eo violentiam experiẽtia prima pernicioſiſsimo euẽtu, compoſitione cum ſulphure, demonſtrarit in puluere bõbardico, à qua terrenum fulgur meritò vocari poſſet. Nõ aliter ex ſale liquoris terræ, quod naturale balſamum eſt vniuerſale, quo res omnes condiuntur in ſui compoſitione, tandẽ ex iſto particulari per reſolutionem rerum in terram iterum reuertenti, naſcitur vt ſuprà ſal vnicum, quod poſtea per poros terræ colans in conorũ glaciei formam coagulatur adhærens petris, vnde nitri nomen in ſal petræ commutauit. Neutrum tamen ad internã medicinam vſq; adeò idoneum, niſi ad conciliandã obeſis corporibus maciem, nec ſic quidem admodum tutum remedium, niſi cum ſale cupri permiſceantur duo, vel tria per extractionis opus, & in vnum conueniant ad ſuum vſum.

Cap. XIII.

De vitio ſalis nutrimenti.

Sal quod panis dicitur, periculoſum eſt varò aſſumptum, etiam vnà cum cibis, niſi digeratur. Quapropter ſenioribus in copia ſumptum, eſt pericoloſius, alijs qui validiſsima dotati ſunt facultate digeſtiua.

Sal

SAl omne cibarium quod à ſtomacho digeſtum non fuerit, & per expulſionẽ deuenerit in inteſtina, niſi tranſitũ faciat, colicam, iliacámve paſionem generat curatu præ cæteris difficillimá. Corroſiua ſua natura nonnũquam inteſtina perforauit, vt ex anatomia viſum eſt. Si tamen in ſtomacho manſerit inexpulſum, orexes & arſuræ, necnon aliæ plurimæ ſtomachi paſiones exoriũtur in orificio. Euenit etiam aliquando, vt ſal indigeſtum in venis meſaraicis conſtipetur & coaguletur in granula, vnde grauiſsimę prodeunt ægritudines incognitæ, nedum in his, verùm etiam in alijs totius corporis partibus, & præſertim illis circa quas vrina ſuum habet emũctorium. De ſalium ſpeciebus, vitijs, & virtutibus dictũ ſit hactenus; iam ad aliud minerale magis veniendum eſt ſal, quod vitriolum nominatur, præ cunctis alijs omnibus, cùm in Alchymia, tum in Medicina præſtantiſsimum. NB. NB. NB

CAP. XIIII.

De vitriolo.

Admirandi ſalis naturalis iã vires & virtutes enarrantur, in vitriolo deliteſcẽtes, cùm ad medicinã, tum ad alchymiam, ac tales quæ in medicina morborum quartã partem curare valeãt: in alchymia verò mi

randa perficiant opera, vt in Aurora dictum est, & in sequentibus audietur latiùs. Toties enim virtutes suas variare comperitur, quoties aliter atq; aliter præparatur.

NAtura producit è terræ visceribus genus quoddam salis, quod vitriolum nuncupatur, tantarũm virium atq; virtutum, vt vix vnquam satis à quoquam describi valeant. In isto siquidem perfectæ curæ consistunt ictericiæ, arenæ, calculi, febrium, vermium, caduci, ac plurimorum aliorum id genus curatu valdè difficilium morborum ex oppilationibus ortorum, vt infrà latiùs. In vtraque facultate medicinæ videlicet, & Alchymię, mirandas operationes, ac varias pro modo suæ præparationis efficit. Ex eo namq;, tanquam ex ligno vno variæ fabricantur imagines, varia pariter parantur medicamenta præstantissima, cùm ad internas, tum ad chirurgicales curas, vti capitis tineã, lepram: in summa, quicquid alia nõ possunt præstare præ debilitate virium aduersus morbos, id omne tollit à fundamento, vitium extirpando. Virtutes eius cumprimis cognoscendæ: nonnullas crudum existens patefacit, alias in aquam reductum, calcinatum alias, atq; alias in oleum viride redactum, in forma olei rubei alias, item alias in albi habet olei forma; toties nouas induit virtutes, quoties

ties aliam formã à præparatione recipit. Supplere ſolum poteſt pro quarta parte morborũ, & pharmacorum omnium adhuc excogitatorum. Non eſt opus igitur vero medico huc atq; illuc oculos ad diuerſa circunflectere, ſed inſtar pudicæ virginis in terrã habere defixos: in hac enim ſub pedibus longè plus virium opumque hoc in theſauro naturæ, quàm India, Ægyptus, Barbaria, Greciaq; ferant, inueniet.

CAP. XV.

De ſpeciebus vitrioli, & examinibus eius.

Specierum vitrioli quinq; hoc loco ponũtur examina, quorum ſecũdum narrat hoc ita crudum intrò aſſumptum, inteſtinorum vermes inſigniter pellere, nec mirum propter ponticitatem amarulẽtiæ permixtam, quam vermes plurimùm abhorrent: ſed magis credo id, ob innatam quandam arcanam conſtellationem corruptionibus inimiciſſimam fieri. Summatim in eo tranſmutationes videntur admirabiles, etiam ipſo in ſua cruditate permanente. Quid ſperãdum ſit de ſua præparatione, iudicio relinquo peritorum in hac arte philoſophantium.

TAm variæ ſunt vitrioli ſpecies, quã fodinę de quib. eruitur, aut fontes. Examina pariter diuerſa fiunt eius maioris vel minoris

præstantiæ. Primum hoc esto, si laminam ferream præter ignem in cupri colorem tingat, quò altiùs, hoc iudicatur meliùs, verùm istud est leuissimum inter alia. Secundum, vbi crudum administratum per os intrò assumptum vehementer pellat præ alijs vermes intestinorum, quò vehemētiùs, eò meliùs in medicina. Tertium est, quum ferrū in cuprum transmutat, quantò perfectiùs ac citiùs, tantò præstantiùs habendum in vtraq; facultate: plurimum enim affinitatis est inter hęc duo metalla. Nec admiranda res, cùm per aquā boracis ex plumbo pariter fiat argentum viuum. Sunt & alia cachimiarū genera quæ metalla conuertunt, & præter ista fons in Hungaria vel torrens potiùs ex vitriolo ducens originem, imò tota eius substātia vitriolum existit, cui ferrū quoduis iniectum in ferruginem consumitur, quæ postmodum follibus & igne reducitur in optimum cuprum nō retrogradum. Quartum examē est, quum eius colcothar rubeum igne vehementissimo cōflatum per se cuprum exhibet, istud in medicina debilius, at in alchymia præstantissimum existit. Non sunt prætereundi colores. Quod omnino cœruleum, non æquè validum in medicina, ac illud quod sub eodem colore rubeas flauasque maculas admixtas habet. Quod cœlestis est pallidi coloris, apprimè sumendum est in olei viridis &

albi

albi præparationem. Illud verò quod in rubeum aut obſcurè flauum colorem tendit, optimum eſt ad rubeum oleum ex eo parandum. Poſtremum examen eſt, vbi cum gallis aterrimum atramentum, ac obſcuriſsimum efficit, hoc præ cæteris eligendum. Ab examinibus igitur ſpecies numerantur.

CAP. XVI.

De virtutibus vitrioli in medicina, crudi vel calcinati.

Vitrioli primo loco hîc virtutes medicinales enarrantur in ſua cruditate adhuc manẽtis, & intrò aſſumpti, quod mirum eſt. Neminem enim nõ expertum fuiſſe puto in eo ſtipticam ponticitatẽ, attamẽ oppilationes reſoluit. Hoc dicit author fieri propter acetoſam ſalſedinem: cui ſuffragãdum opinioni iudico hac de cauſa, quia ſtomachus acidis maximè cõfortatur, & ſalſis iuuatur in digeſtione fienda per ipſum. Poſt eius deſtillationem ſiue ſeparationem à ſuis liquoribus, non ſuadet vt feces (quas ipſe colcothar appellat) intra corpus vſurpentur. In alchymia, primam ſuarum virium experientiam demonſtrat in ferro ad cuprum, quo magneticam, mediamq́; vim inter hæc duo metalla videtur habere. Nam & cuprum in vitriolum redire poſſe dicit, per viride æris, quo denotatur veneream haberi naturam in vitriolo. De oleo eius cum oleo

mercurij, lapidē azurini cœleſtíſve coloris fieri, nil mirum eſt, quòd viror Veneris, cum pallore mercurij facilè colorem hunc proferat. ~~*Iam de ſulphure*~~.

AD grauiſsimos ſtomachi dolores, & ægritudines ex inordinata cibi potuſque ſumptione prouenientes, vel ad eius malam digeſtionem, crudum exhibitum quantitate ſex cometz vel guttarum trium, putà granorum trium, debilibus in vino vel in aqua, robuſtiorib. in vino deſtillato, radicitus omne vitium expurgat ſurſum atque deorſum pellens. In ar canis vocatur vitriolum grillus, vel grilla. Nō elleborus, non coloquintida, neq; diagridion æquè vehementer purgant, aut perfectè curāt ac iſtud, nec vermes pellēdi facultatē habent. Eſt etiam ad caducum, inter curandum, præ cæteris optima per vitriolum purgatio. Eiuſmodi proprietates à duplici natura ſibi contigerunt, acetoſitatis videlicet, atque ſalſedinis, quapropter alijs multò nobilior medicina. Colchotar eius, aut vt vocant caput mortuum rubeum intrò non eſt aſſumendum, nec niſi ad chirurgicales curas idóneum, ad vlcera putrida pro primo gradu malignitatis, oleum verò ſumendum, ad illa quæ ſecundum atq; tertium attigerūt. Eius virtutes medicinales alijs de medicina libris continentur, vt in faſciculo floſculorum Paracelſicorum; hoc loco ſolùm

ea

ea tractare proposueramus atque in vnũ congerere, quæ ad Alchymiam transmutatoriam faciunt, etsi nos quandoque medicinalia digredi cogant à proposito. Proinde videndum quid in chimicis præstet vitriolum, vltra ferri transmutationẽ in cuprum, vt suprà diximus, cuius etiam formulam ponere primò visum est. Quanquam non ita arduum est opus atq; ferrum in aurum transmutare, Deus minora palàm vult fieri priùs, maiora tantisper occulta manere, donec Helias artis adueniat: habẽt enim artes omnes queq; suũ peculiarẽ processum, vt in alijs intelligendũ. Sumatur itaq; limaturæ ferri nullo alio permixti metallo, libra vna, mercurij libra semis, affundatur aceti acerrimi mẽsura vna, vitrioli quarta librę parte, cum vnciá vna & semis armoniaci salis iniectis, bulliant simul agitata continuè spatula lignea, cõsumpto aceto recens affundatur atque vitriolum: post horas duodecim ferri maxima pars trãsmutata mercurium ingressa, separetur cum mercurio prorsum à reliqua ferri parte non transmutata, per ablutionẽ, & mercurio per corium expresso, manebit amalgamatis pasta, quæ reducta per ignem purissimũ cuprum exhibet. Huius vncia semis, cũ æquali parte argenti, statim permiscetur sedecim gradibus retentis, licet non fixis, in regali tamen fixibilibus, vt artifex industrius inde medio-

cre lucrum habeat ad victum & amictum. Fit etiam vitriolum ex venere soluta per aquã fortẽ, & granulata, quod nõ amplius in cuprum redit; sic etiam ex vitrioli colcothare fit venus (vt suprà in examinibus) quæ nõ reducitur in vitriolum per se, nisi per peculiarem aquã. Viride similiter æris gradatissimũ vitriolum exhibet spagyricum. In vitriolo tanta tamq; potens tinctura delitescit, vt vix cuiquã non experto credibile sit, bene quidẽ ei qui intelligit eius arcana. Quoties vtiq; oleum vitrioli cum oleo mercurij miscetur, & simul ambo coagulantur, in lapidẽ transeunt mirandæ tincturæ conditionisque, sapphiro persimilem. Absolutis salibus ad sulphura veniendum erit.

CAP. XVII.

De sulphure triplici mineralium.

Tria hoc loco sulphurum potissima genera ponuntur, quorum primum aliorum & omnium patrẽ vel matrẽ appellat, est minerale sulphur, vel resina terræ: secundum est, quum illud metallicam naturam & speciem induit, tum vocatur sulphur embryonatũ, idq; duplex consideratur esse, vel externum à cortice, vel internum à nucleo, quod embryonatum internum altero cõtinetur, embryonato suo videlicet externo: tertium autẽ quod arte spagyrica, purũ ex præce-

præcedentibus omnibus eruitur, propriè ſulphur à nobis vocatur animatum. Poſtremum hoc intrò aſſumendum eſt, & nulla ratione crudum. Embryonatum ſulphur, trahitur de fixis & fit volatile, & non fixis: vtrunq; purus eſt et viuus ignis, inuiſibilis & viſibilis, conſumẽs morbos vt lignum. Magna eſt opus induſtria, in extrahendis embryonatis, & potiſsimùm ex auro, ex quo, ſi tamẽ ritè haberi poßit vt in textu, paucis admodum adhuc opus eſt, ad ſummam perfectionem arcanorum ſpagyricorum excellentißimi arcani. Sulphur itaque ſiue tinctura ſolis, aut lunæ, ſua corpora tingit in tantum, ſupra naturalem gradum, vt iuncta cum imperfectis de ſuo tribuat exceſſu, coloréve, deficientibus, licet non fixè ſulphurum operationes in alchymia ſunt omnium difficillimæ.

RESina terræ propriè vocari debet ſulphur, in quo virtutes innumeræ deliteſcunt, in vtraq; facultate, crudũ tñ in neutra validum. Arcanum ſolũ eius ab impuritatib. vindicatũ ac liberum operatur admiranda: lotũ priùs in albedinẽ excellentẽ eã quæ conſpicitur in niue, per Iſopicã artẽ. Tam diuerſas virtutes, quã varias habet origines. Quodlibet enim metallũ aut minerale, aliud ab alio ſulphur in ſe continet. Vt ſuprà diximus ad ſimilitudinẽ caſtanearum & nucum, mineralia pariter ſuis inuolui corticibus, in nucleo tamẽ præſtantiſsi-

mam latere virtutem, quæ ab externis nutritur & ſuſtentatur, hoc loco de ſulphuribus intelligendum intimum illud eſſe quod præcellit, embryonatum ſpagyricè dictum ab origine ſpecifica, vt ſulphur embryonis auri, lapidis, &c. Sulphur externũ in quo latet embryonatum, nobis eſt minerale. Eſt & tertium genus, quod ex nucleis mineralium vel metallorum extrahitur, quod non meliùs quàm animatum & ſpagyricum ab arte vocari poteſt: quodq́ue cuique ſibi ſimili venit applicandũ in vtraq; facultate. Vel vt meliùs intelligatur, primum ſulphur vniuerſale, quod reſinam terræ diximus, tanquam matrem vel patrem aliorum ſulphurum, minerale vocamus: ſecundum eſt, vbi hoc ſpeciem induit metallicam aut mineralem, tum demum embryonatum, tertium quod ab iſtis repurgatur, ſpagyricè purum exiſtit abſque ſuperfluitatibus, ſulphur animatum. Embryonati ſulphuris duę notandæ conditiones, vna ex fixa volatilis fit, altera purus eſt & viuus ignis, inuiſibilis & viſibilis vtraque in ſimilem conſummationem tranſit ligni videlicet, ac morbi. Embryonati ſulphuris extractio fit, vel per ſublimationem, aut per deſcenſum. At aliquando non vſque adeò permixtum alijs à natura reperitur, vt propter nimiam ſubtilitatem ignẽ in huiuſmodi præparationibus ſuſtinere nequeat, aqua forti venit

nit extrahendum à ſuis mineralibus corporibus & coagulandum. Hoc omne iuxta verã concordantiam ſegregatum, in ſe continet auream naturam, quapropter in Alchimia prę cęteris expetendum, quòd fixationem facilè recipiat, imò fixat in cimentis aurum, in alijs metallis nondum maturum aut volatile. Fruſtra tamen quæritur aurum ex eo, niſi priùs inſit à natura: nullum continet argentum, ſed aurum ſolum, vnũ altero magis, vt in embryonatum veneris, talci rubei, marcaſitæ aureæ vel ferreæ, quæ raro carent auro. Quicumque tamen his manum applicare volet, primùm meminerit ac notet, vt ſeparet eiuſmodi ſulphur ab auro maxima cum induſtria, ac tam ingeniosè, vt auro nihil depereat. Multis hoc loco ſubuentum eſſe poſſet, verùm eſt quòd ſileam. Et niſi ex diametro pugnaret cõtra Dei voluntatem, omnes ex æquo diteſcere, breuibus admodum verbis adhuc, multorum optatus adimplere foret facilimũ. Cùm tamen diuitiæ pauperes à vera ſemita prorſum abducant, humilitatem ac pietatem adimũt, quarũ loco ſuperbiã & elationem adferũt, ſimul & petulantiam cum incontinentia, tacendum eſt potiùs, indigentiam pro fræno huius farinę pauperibus & auidis opum relinquendo. Vt ad minerale ſulphur veniamus, Dux artis eò ſuos milites adduxit, vt conſide-

rarent, ex muliere nihil generari posse sine viro suo: viderunt igitur artem esse patrem qui cuncta disponit. Hic spiritum transmutationis adhibuit, quo minerale sulphur oleo lini coniunctum est, & inde per decoctionem hepatis vel pulmonis forma quędam resultauit, & ex eo postmodum liquor duplex, vnus lactis instar albus, densus, & oleosus; alter vt oleum valde rubeum spissum vt sanguis, ambo simul vt neutrum tamen alteri permixtum fuerit; albus liquor in fundo subsidit, altero superiùs, rubeo videlicet innatante. Vltrà progressum est, vt ex albo fieret ad album tinctura, sed frustra tentatum fuit: hoc scio nihil ex eo factum extitisse, nec vnquam fieri posse. quòd inanis sit ac inutilis materia quędam ad hanc artem. Verùm crystallus, aut berillus omnis in eo suo tempore positus, & in eo manens vt minimum tribus annis, in hyacintho similimum lapidem transmutatur. Item rubinus à natura non vsque adeò coloratus, tam clarus & perspicuus redditur successu temporis, vt noctu luceat instar naturalis carbunculi, ac vbique positus absque lumine reperiri queat. Ex hyacintho pariter fit, necnon sapphiro cœruleus color augetur supra naturam, cum interserta viriditate translucente. Multarum aliarum est gemmarum tinctura præstantissima, pariter & lunæ, quæ in ipso

ipſo poſita nigreſcit, calcemque ſolis ponit, licet non fixi, donec terminum compleat ſuæ perfectionis; de hoc ſatis. Quiſquis in hac tinctura volet operari, primùm diſcat ex alchimia præparationes cum induſtria perficere; eſt enim præ cæteris omnibus ferè chimicis operationibus paratū difficilima. Tantum de coloribus præſtat hoc oleum: in maioribus autem virtutibus non ita credendum eſt facere; quòd in ipſo coloris tinctura ſit dūtaxat, & non virtutis. Nonnulli ex metallis etiam tincturas elicere conati ſunt, verùm fefellit eos opinio, cauſam hoc loco ponere minimè conuenit. Hoc tamen eſt certiſsimum, quicunq; ſolis tincturam habuerit, auri corpus vltra naturalem gradum poterit adducere, hoc eſt, à viginti quatuor in trigeſimum ſextum, & vltrà tam intensè vt altiùs aſcendere nequeat, conſtans nihilominus, fixumque maneat in antimonio, & in omni quartatione. Sulphur etiā lunę ſuum corpus in tantum gradum exaltat, vt venus cum æquali huius lunæ pondere iudicium acquirat lapidis Lydij. Sulphur veneris cuprum fixat, vt fulminis examen ſuſtineat, non tingit tamen; cum ſulphure ſaturni in optimam chalybem: cum ſulphure iouis tanquam ferrum optimum. Item ſtannum ſuo ſulphure figitur etiam vt fulmen ſuſtineat, & ſuo ſaturnus confirmatur atque

idem de sulfur auri

atq; fixatur, vt nullam cerussam vel minium, neque spiritum de se præbeat ampliùs. Sulphur verò mercurij suum corpus malleabile reddit, vt veneris ignitionē patiatur, at cineritium non. Sulphur item solis tingit lunam, sed non fixat. Fiunt etiam transmutationes aliorum sulphurum in aliud quàm proprium corpus iniectorum, at non eò res peruenit, vt optatur. Notandum interea sulphur expertissimum operatorem, & non præsumptuosum putatitiúmve requirere.

CAP. XVIII.

De arsenico ad Alchimiam vsurpato.

In arsenico tinctura alba multos decepit artifices, nā ista solùm facit electrum album ex venere, non aliter quàm calaminaris rubeū, in quibus nulla perfectio neque fixio. In hoc multa sunt ab artificibus frustra tentata, vt in textu habetur apertiùs. Nūc ad mercurium.

QVòd arsenicū de genere sulphurū potiùs, quàm sit mercuriorū, statim post sulphura subnectere visum est. Nōnulli chimistę veteres, sophistę potiùs, chimistica laborātes icterìtia, id est, auri cupiditate turgētes, ac flaui tātiā quā hydropici, vidētes in arsenico tincturā albam

bã veneris, & rubeã in calaminari lapide, credẽtesquoque in iſtis verũ arcanũ contineri lapidis, electrum album & rubeum exiſtimarũt argentum & aurum, donec per examina contrarium experti ſunt, vanum opus videlicet. Nec eo contenti, progreſſum fecerunt obſtinatiſsimum ad fixationem vt peruenirent, ac tãtiſper, dum nulla domus, poſſeſsio nulla reliqua ſibi manſerit miſeris, tranſmutationẽ in ſe potiùs expertis quàm in metallis. Quid mirum? abſque iudicio cognitioneque mineralium & metallorum opus hoc aggreſsi ſunt, quod & hodie maxima pars operantium in hac arte adhuc facit. Ab eo tempore quo electrum ab antiquioribus inditum nomen, venit in obliuionem, ruina mox ſubſequuta eſt eorum, qui nomen hoc in aurum & argentũ fictitia mutarunt, id eſt, modernorum chimicorum perditio. Electrum autem vt definiamus, eſt metallum ex alio conflatum arte, nõ ampliùs illi ſimile ex quo factum eſt. In exemplum: Arſenicale metallum iuxta ritum præparationis metallicę paratum, cum venere cimentatum, pro more ſolito, cuprum totum in electrum album conuertit cupro ſuo viliùs. quid opus eſt igitur magnis ſumptibus deprauare metalla? Nunquid meliùs cuprum fuerit in eſſe naturali ſuo relinquere, ſeruata pecunia, tempore laboreque ad vtilius opus

etiam applicatis? Veteres electrum proprio nomine vocarunt, recentiores argentum falsò dicunt, veteres ex eo damnum non retulerunt, quòd ipsum electrum cognouerint, moderni quia nullā habent electri noticiam, iacturam faciunt suarum facultatum, laboris, atque temporis. At cum errores in Alchimia spe noua semper fulciantur, eò ventum est, vt arsenicum fixari tentatum sit reuerberationibus arundinis aliquot septimanis, alijsq; : factum inde, vt arsenicum in coralli formam rubeum durum ac fragile deuenerit, nullius tamen vsus in Alchimia pręterquam ad electrū, vti suprà. Deinceps per descensum præcipitationemque, nihil aliud quàm suis calcinationibus effecerunt. Sic obstinatos homines in Alchimia decipi contingit, qui non omnia penitus & à fundamento suarum impositionum artis vocabula intelligunt exactissimè. Verum est, arsenicum propria sua natura continere aurum, quod per industriam Artistæ nonnunquam separari potest in cimento, vel proiectione, vel aliàs in argentum, cuprum, vel plumbum attractione, non propterea sequitur, hoc per suas operationes atque tincturas productum esse, sed quod antea inerat, per separationem duntaxat, velut ex sua minera solet, ortum est. Plerumque aureum reperitur, nec nisi rarò admodum caret auro, vt

ro, vt alia multa. Hactenus de arſenico quod ſciam, aut ſcribere decet; quiſque nomen eius optimè ſcrutetur priùs diligẽterque, vt intelligat, alioqui facilè ſequitur maximus error in vtraque facultate, qui tandem ab euentu palàm fit.

CAP. XIX.

De argento viuo.

Mercurius ſiue argentum viuum propriè metallum dici non poteſt, at bene mineralis aqua, & materia prima, ſiue mater omnium metallorum, ex qua bene quidem fabricari metallum poteſt arte ſicuti natura, ſed non ſine monarchico lapide, perfectaq; tinctura.

ABSOLVTIS ſalibus & ſulphuribus ad argentum viuum peruenimus. Hoc non probè metallum dici poteſt, ſed aqua potiùs metallica, verùm ea ratione metallum eſſe dicitur, quia per Alchimiam in ſolidam ſubſtantiam, & in colorem adducitur metallorum nonnunquma fixam, aliquando verò non fixam. Tantùm cognoſci poteſt, eſſe primam Alchimiſtarum materiam, qui poſſunt inde fabricare aurũ, argentum, cuprum, &c. vt in examine perſiſtãt: item fortaſsis ſtannum, plumbum, & ferrũ etiam; etenim admi-

randæ naturæ eſt, nec niſi maximis laboribus perſcrutabilis. In ſumma, ſeſe manifeſtum facit, eſſe primam materiam Alchimiſtarum in gradibus metallicis, atque maximum arcanũ in medicina. Eſt aqua non madefaciens omne quod tangit, & currens animal abſque pedibus, grauiſsimum præ omnibus metallis. Conſtat vt ſingula ex ſulphure, ſale, & mercurio. Primam & vltimam in liquationibus metallorum patefacit materiam, in eis præſertim quæ liqueſcunt præter ignitionem à colore, & in alijs à fluxu. calore

Cap. XX.

De cachimijs & corporibus imperfectis.

Poſtquã de tribus primis principijs mineralibus, in corpus aliquod minerale coagulatis, dixit, ſub triplici genere, ſalis videlicet, ſulphuris, & mercurij, iã de corporibus quibuſdam loquitur metallicis, quæ per ſeipſa metalla non ſunt, niſi quatenus hoſpitia ſunt metallorum, à quibus quidem iſta ſeparari facilè non poſſunt, quia ſimul vnà continent in ſe cum metallis, & horum inimicum, qui recedens metallũ abducit, domo vacua relicta: ni ſorte quis accedat propagator fortis, qui pellat inimicũ, & ab eo liberet amicum; id eſt, metallum. Inimicus metallorum eſt ſuperfluum ſulphur, tamquam ſuperbus

bus quiſpiam ex abundantia tyrannus factus. Promiſcuum genus metallicum ex mare & fœmnia miſtum putatur, de quo dicetur in ſequenti capitulo. Aliquod malleum ſuſtinet, aliud non, fuſionẽ tamen. Horum omnium vltima materia non eſt reperta, hoc eſt, finalis propter quam à natura producta ſunt.

ALIVD genus habetur mineralium corporum, quod nõ eſt ſalinum, neq; metallũ, ſed bene metallicũ, vt ſunt marcaſitæ, chiſeta, rubea & alba, antimonica perfecta & imperfecta, arſenicalia, auripigmẽta, talcica varia, cobleta, granata, gemmea, &c. Sunt inquam metallica, cùm primã materiam metallicam habeant potiſsimùm, & ex tribus primis metallicis ducant originem, ad quæ confugiunt & eis incorporantur metalla, vt aurum, argẽtum, cuprum, ferrum, &c. Verùm quia ſimul incorporatur cum eis inimicus metallicus, non niſi per Alchimiam ab iſtius tyrannide vindicata, ſeparari poſſunt. Varij ſunt inimici tales, qui latrocinium exercent aduerſus metalla, non ſecus ac ſi quis refugium apud ſociũ quærens, in eius domo deprædetur, neceturq; ab eodem cuius implorabat auxilium. Nonnulla dictorum cõſiſtunt potiſsimùm in ſulphure, vt marcaſitæ, chiſeta, cobleta: alia quidem in corpore mercurij, vt arſenicalia, auripigmentalia, antimonica, &c. alia verò in ſa-

le, vt omnia talcica. Marcasitarum duo colores habentur, albus & flauus, iuxta metallicum sulphur imperfectum, in ipsis ordinatũ, quòd eo sit opus ad multa. Metallum ex cobletis fit imperfectum, hoc liquefactionem patitur ac fluit, nigri coloris est magis quàm plumbum & ferrum, nullius tamen splendoris nitorísve metallici, malleum admittit non vsque adeò multum, vt inde quid fabricari queat, eius vltima materia nondum est reperta, neque separatio. Non est dubitãdum quin sit promiscuum genus ex mare & fœmina, velut in ferro & chalybe, sed vt ista simul perfectè cudi nequeunt, vsque dum separationis artificium inueniatur. Habetur & aliud simile zinchinum appellatum, non vulgariter adhuc notum, peculiare genus, in quo varia metalla comperiuntur adulterari, liquabilis naturæ, non malleabilis, colore multum ab alijs differt, cuius vltima nondum etiam est reperta, in sua præparatione tam mirabilis ferme ac ipse mercurius, alterius permixtionẽ refugit, peculiare genus admirandum in mineralibus. Grana reperiuntur etiam in torrẽtibus metallica, granata propter formam exteriorẽ dicta, liquantur, ac malleos sustinẽt, in nullũ tamen instrumentum fabricabilia; horum proprietates sciri nequeunt, nisi quandoque per Alchimiam detegantur: multa continent

tinent adulterina metalla, vt argentum & aurum, ad illa, tanquam ad cuprũ & plumbum ſolent confluentia. Conſiſtunt ex craſſo quodam ſulphure. Alterius generis granata nonnulla ſunt perſpicua, inſtar cryſtalli, quibus ineſt aurum & argentum.

CAP. XXI.

De metallis à natura abſolutis, perfectis & imperfectis, & primò, de ſaturno ♄ vel plumbo.

Poſtremò iam de ſolidis, & in vltimam ſuam materiã adductis, agitur metallis, inter quæ primatum tenet aurum. Hoc ſummè perfectum eſt, vt in textu. verùm, dum ad huc vltima naturæ materia exiſtit, nutritur tanquam in ſua coquina, à qua quidem ablatum, fit hominis prima materia, & macreſcit, quia per artem in ſeparando gradibus octo ſpoliatur, vt è triginta duobus, vigintiquatuor tantùm fiant: & aliquando 26. in 10. reducantur. Differentia ponitur excellentiſsima, Phyſices manifeſtæ ad ocultam, vt quæ iudicat res naturales ex quatuor elementis componi, ſit manifeſtorum ſpeculatrix, hanc aliquando vocaui ſuperficialem, circa quam totus Græcorum & infidelium labor verſatur: quæ verò componi conſiderat ac meditatur, ex occulta natura, iuxta creationis ordinem,

verè Physica dici meretur, quia ex tribus ab vno in vnum redeũtibus, omnia iudicat: hanc ego centralẽ vocaui, Paracelsus monarchicã, vel adeptam. Hinc iudicare quiuis potest, quid intersit, & quid commune sit Galenistis cum Paracelso: hic medullas & nucleos quærit, illi vero cortices depascuntur. Vt ad aurum redeamus, ex tribus primis purißimis, & perfectißimis constat, sale videlicet, mercurio, & sulphure, cætera sunt ex impuris & imperfectis, imperfecta metalla. Cæterùm de mercurio metallico, non metallo propriè, neque minerali, sed inter ista medio, dicitur hoc loco, solum & non coagulatum, sed fluidum ea de causa reperiri sub terra, quia natura illius loci fœcundißima est in productione argenti viui, non ita in generatione sulphuris, at parca magis, ac velut hac parte sterilescens, quo fit vt propter abundantiam, vel potiùs redundantiam argenti viui, & inopiam sulphuris, illud non coagulatum, sed fluidum relinquatur. Postremò de metallis in genere dicitur, ipsa matrimonio iuncta per naturam aliquando reperiri, vt aurum & argentum vnà simul in vno corpore nata, chalybs, & ferrum, stannũ, & plumbum, vti marem & fœminã, quæ separantur arte, sed cuprũ mas non impedit suam fœminam, sicuti chalybs ferrum, in malleatione, ideo non separantur illa, sicut ista quæ simul malleari nequeunt in æquali proportione, vel si mas fœminam superabit: nec nisi paululum maris adsit fœminæ suæ. Hac ratione semper nume-

numerantur metalla ſeptem abſq; Mercurio, quod in textu. Sæpiſſimè tamen hanc ſeparationem per ſe natura facit, maris à fœmina ſua, licet aliquando miſta relinquat, & nonnunquam plura ſimul quàm duo ſinit adulterari.

SATVRNVS omnium nigerrimum & craſſiſsimum corpus obtinuit, mercurium ſimilem, & ſal præ cęteris maximè fuſibile. Per corruptionem facilè reducitur in ſuum ſpiritum, in ceruſſam albã, flauam, in minium, & poſtremò in vitrum vt reliqua. Stannũ fit ex ſulphure albo fixo, & fixo ſale, ſed ex mercurio nõ fixo. Et quia corpore fixũ eſt, nõ in mercurio, leuiter metallicam fuſionẽ amittit auolante ſpiritu per ignem, quo quidem abſente, non eſt ampliùs metallum, ſed corpus euanidũ. Ferrum & chalybs ſunt ex non liquabilibus ſulphure, ſale, & mercurio, contrarijs ſtanno & plumbo. Coagulatur in omnium duriſſimum metallum, ſeipſum deſponſat, id eſt, reperiuntur in vno duo metalla, chalybs mas, & fœmina ferrum, quæ ſeparari poſſunt in ſuum vſum, vtrunque ſeorſim. Aurum generatur ex puriſsimo ſulphure ſummè per naturam ſublimato, & ab omnibus fecibus atque ſpurijs repurgato, ad tantũ ſplendorem exaltato, vt nullum inter metalla corpore poſsit altiùs aſcendere. Sulphur hoc, eſt vna pars auri mate-

riæ primę, quod quidem ſi poſſent Alchimiſtę habere, vt etiam in arbore ſua radiceque bene reperibile, meritò gaudere poſſent; nam eſt verum ſulphur philoſophorum, ex quo fit aurū, non illud alterum ex quo ferrum fit cuprum, &c. Hic eſt ſcrupulus ſui vniuerſalis. Eius mercurius etiam eſt à natura ſummè ſeparatus ab omni terreſtri & accidentali ſuperfluitate, ſeorſim in ſuam partem mercurialem, & in extremam perſpicuitatem trāſmutatus, qui philoſophorum mercurius, eſt ſecunda pars auri primæ materiæ, ex qua generatur aurum. Poſtremò ſal eſt tertia primę materię pars auri, & ex arbore, ex qua aurū naſci deberet velut ex roſarum ſeminibus roſæ, ad ſummam claritatem cryſtallinam ſequeſtratum, ac depuratum ab omni ſalis acredine, acerbitate, acetoſitate, aluminoſitate, & vitriolitate, vt nihil penitus adhæreat ipſi iam in ſumma luciditate ac diaphanitate liberè iubilanti. His tribus in vnum conuenientibus, decoquitur aurum in maſſam, non tamen ſemper vnius & eiuſdem conditionis vel gradus. Natura ſiquidem exhibet gradus auri triginta duos, qui tamen in arte viginti quatuor fiunt in ſummo gradu perfectionis. Huius rei cauſa eſt, quia aurū in arbore ſua nutritur, velut in ſuis vacca paſcuis, vel Epicureus in ſua popina penuarioq; ; mox atq; horū alterū

extra

extra paſcuum ſuum venit, macreſcit: non ſecus euenit auro, ſtatim atq; fit materia prima hominis, octo gradibus diminuitur. Verùm eiuſmodi paſcua quandoque peiora ſunt, quo fit vt peiores etiam auri gradus vel pauciores fiant, vtque naturæ ſupremus à viginti ſex, ad decem in arte deſcendat. Accidentia vel potiùs incidentia aſtrorum aut elementorum, nonnunquam auri generationem impediũt, vt naturâ fiat rudius intractabiliúsve: ſed põderum præſertim inæqualitas primorum trium, vt ſalis nimia portio pallidius efficit, nimio mercurio plus iuſto flaueſcit, copioſiore verò ſulphure nimis rubicundum redditur. Apud naturam æquè, atque apud homines per impedimenta incidunt errores, qui tolli poſſunt antimonio, cimentis, & quartationibus. Cæterùm in ſulphure nihil aliud quærendum quàm corpus, in ſale confirmatio, ſed in mercurio virtus omnis, proprietas, eſſentia, & medicina, quæ non in alijs exiſtit vt in iſto, ſed velut in mortuo corpore ſpiritu carente, in quo nõnihil ad huc elementariũ virtutum, prout in aceto reliquias ignis vini, vires adhuc ſeruare cõſumẽtes & corroſiuas, nõ tamẽ fouẽtes, experimur vt in vino, neq; cõfortantes. Res naturales iudicãtur in manifeſto ex quatuor elementis cõponi, ſed in occulto res aliter ſe habet: compo-

nuntur enim ex tribus dictis tantùm communem inter se magnetem habentibus, qui in decoctione præparationis ad se trinitatem essentiæ trahit. Veteres physici statum esse vocarunt, quia trinitas statum vnitatis acquirit, in qua quiescit naturalis motus & gradum sistit. Verùm quartum esse (non elementum) meritò dici deberet illa magnetica virtus, quę medicinam attraxit in mercurium, in quo etiam reperitur: in vltima separatione tamen mercurius de suo pondere plurimùm amittit. Istis omnibus ad hunc modum à natura dispositis, aurum excrescit in arborem, à radice primùm per truncum in suos ramos & locustas extēsam, in quibus flores enascuntur (vti supra terram videtur) quibus etiam euanescētibus, non semper fructus in locustarum extremitatibus reperitur, sed quandoq; aliquod centenis passibus profundiùs in arbore, aliquoties in media, vel aliquot gradibus versus terræ superficiē. Accidere nonnunquam solet, vt nihil enascatur præter mercurium, vbi hîc per superfluitatem alia suppresserit: si verò salia dominabuntur corrosiua sua natura, tanquam vermes, arborum flores exedunt: dominio sulphuris cuncta comburuntur, velut supra terram ardore nimio solis. Cuprum fit ex spadiceo sulphure, sale rubeo, & flauo mercurio coctis in metallum. Hoc in se masculū

suum

ſuum cõtinet, id eſt, ſcoriam, quæ ſi reducatur rurſus in metallum ſuum poſtquam ſeparata eſt, in cuprum redit maſculinum, quod ampliùs non corrumpetur, & fœmina de ſe nullas ſcorias præbebit: malleatione fuſioneq; nõ aliter inter ſe differunt, quàm chalybs & ferrum, & ad eundem modũ etiam ſeparari poſſunt, vt inde duo diuerſa metalla fiant. Argentum ex albo ſulphure, ſale, & mercurio componitur, à natura in ſummum gradum puritatis ac diaphanitatis præparatis atque fixis, proximè poſt aurum in cineritio, ſed non in antimonio, non in cimento regali, neque in quartatione. Fixionis differentia inter aurum & argẽtum, cognoſcẽda venit ab eo, quòd aurum eſt maſculus, maſculeas vires habẽs fixiſſimas; argentum, vt fœmina debiliores. Vnius & eiuſdem ſunt materiæ primæ, nec aliàs colore fixioneq; differunt, quàm mas & fœmina. Sunt igitur numero ſeptem metalla tantùm, excluſo etiam ipſo mercurio, vt Aurum, Argentum, Stannum, Plumbum, Ferrũ, Chalybs, & Cuprum, quod poſtremum licet marem & fœminam in ſe contineat, cùm ſimul ambo tamen cuſa veniant in vſum, & non ſeparentur à natura, vt chalybs & ferrum, pro vno habentur, quòd etiam eandem malleationem habeant æquè tractabilem, non ſeparantur vulgariter, niſi chymicè ad vſum artis

id fiat. Notandum etiam non semper in metallis, marem solum absq; sua fœmina seorsim à natura productum inueniri, vt aurum, argentum, ferrum, & chalybs, quodlibet per se; verùm sæpenumero simul ambo, vti aurum & argentum in vno metallo, pariter chalybs & ferrum simul, stãnum & plumbum, vt neutrum tamen alterum impediat, imò per se nõ separentur. Nonnunquam etiam adulterina reperiuntur metalla, vt aurum & argentum alijs ob suam subtilitatem admixta naturaliter, præsertim cùm plures, diuersæq; materiæ primæ concurrunt in vnum corpus, vti videmus super terram varios fructus insitio super vnius truncum arboris.

CON-

CONCLVSIO.

NEceſſaria fuit igitur generationis mineralium naturalis appoſita tractatio, qua probè cognita faciliùs intelligitur, quidnam regeneratio ſit metallorum artificio chymiſtico facta. Sententia ſiquidem eſt omnium in hac arte philoſophantium, in primis artificem iſtius profeſsionis imitari naturam in omnibus exactiſsimè debere. Proinde quid, & quemadmodum ipſa in terræ penetralibus operetur mineralem œconomiam exercẽs, qua materia, quibusq; vtatur inſtrumentis, dictu pariter opus fuit, & intellectu. Quiſquis hac via non intellexerit, alia minimè perueniet eò, quò tendit eius animi conatus. Non tam igitur diſcipulus artis quàm naturæ, qui rem tam arduam & arcanam ſcrutatur, fiat.

INDEX RERVM AC verborum.

A.

B.

C.

Clauis

D.

E.

F.

Gale-

G.

H.

I.

L.

Lapidis

Medi-

Mundi

N.

O.

P.

Physices

S.

Scholæ

P 2

T.

Vas

V.

INDEX.

FINIS.

ERRATA.

Pag. 8. linea 13. docētia. 26. 25. diuinus. 33. 6. quam. 38. 4. suscipiendum. 40. 11. cimentationum. 51. 21. cimentationem. 85. 28. isipsus. 101. 21. cimentatoria. 104. 12. arcano. 112. 3. id est. 112. 23. fermētum. 130. 13. vnum. ibidem, vnionem monarchicam. 182. 9. cōdiuntur. 188. 3. dele Iam de sulphure. 193. 10. in embryonato. 199. 21. nonnunquam.